
MARIANGELI A FANO BENEDICTI
AUCTARIUM

Ad Grammaticam Philosophicam ejusque Rudimenta.

In quibus præter illa, quæ de literis Latinis novè disputantur, Grosippi sententia de Lexicorum Latinorum virtutibus ac vitiis, quæque ratio in conficiendo linguæ Latinæ Thesauro tenenda sit, distinctè exponitur.

Accessit in Grosippi Grammaticam, Paradoxa, Nominum & Verborum Paradigmata, inque hoc ipsum Auctarium accuratissimus Index.



AMSTELODAMI,
Apud JUDOCUM PLUYMER Bibliopolam, propter Aquam, sub signo Senecæ. 1664.

Illustrissimo Viro

D. HIERONYMO DE SAGARRAGA,

Senatori Regio & Sanctioris Consilii in Insubribus,

MARIANGELUS A FANO BENEDICTI S. P. D.

JAm ipsi octodecim sunt anni, cùm in hanc nostram Insubriam appulsus, ea abstinentia, integritate, religione ac sanctitate jus reddidisti, ut te non aliter ac reliquias aurei sæculi omnes colant, tibi linguis animisque faveant, ac prosperrima quæque augurentur, & ex quocunque honorum tuorum incremento, & accessione dignitatis maximum sibi fructum capere videantur. Ego privato præterea nomine tibi me plurimum debere agnosco, cùm patrem meum τὸν μακαρίτην minimè vulgari benevolentia dum vixit fueris complexus, & vita functo integritatis, fidei & officii testimonium prolixè

impertiri ſoleas: quæ utraque res mihi ad Illuſtris Viri *Paſcaſii Groſippi* gratiam ſuffragata eſt, ut & bibliotheca ejus meo more ac modo uti, & ipſum quoties vellem adire ac de literis conſulere poſſem. Ea occaſione ſatiſne uti ſciverim, ex hoc arbitraberis ſpecimine, quod clariſſimo tuo nomini inſcribere mihi viſum eſt. Nec enim in eo quicquam invenies, quin id vel ex libris Groſippi, qua ſcriptis, qua editis, mutuatus ſim; vel ex viva voce mecum & cum aliis hominibus doctis, officii cauſa ſubinde ad eum viſere ſolitis, differentis arripuerim. Etſi autem non ferè inveniuntur Juriſconſulti, in Italia quidem noſtra & in veſtra Hiſpania, quibus quicquam operæ ad hoc literarum genus conferre libeat, quod ita hominem decet, ut *humanitatis* ex eo nomen invenerit: non tamen periculum eſt ullum, ne tibi literarium hoc munus ſordeat pòtius, quàm te demereat. Satis enim ornatiſſima illa bibliotheca tua clamat, minimè tibi remotum à politioribus literis eſſe ingenium, cùm & veteres

teres auctores omnes, & ex recentioribus, ut quisque optimus censetur, in ea exstent, tuque adventoribus tuis, viris literatis, facilè probes, te libros istiusmodi nequaquam in apparatu modò habere, sed quicquid subsecivi datur temporis, iis volvendis avidè tribuere. Accedit necessitudo illa, quæ tibi cum Grosippo per XIII jam annos prope fraterna intercedit, cujus inter homines natione ac vitæ genere alioqui differentes conciliandæ momentum aliquod in studiorum similitudine esse debuisse, alii suspicantur, ego autem planè scio; adeoque prorsus dubium non habeo, cùm alia ingenii ejus monumenta Theologica, Ethica, Politica & Historica inter libros tuos conspicere, iisque otium oblectare gaudeas, quin libenter ista etiam, quæ tibi offero, sis cogniturus. Vale, vir illustrissime, meque paterni erga te studii & observantiæ hæredem gratia ac benevolentia tua complecti perge.

Mediol. Kal. Jul. M. DC. XXIX.

AUCTARII
ARGUMENTA.

1. DE *genere hoc loquendi*, Necesse habeo monitore.
2. Doceor à te, *non idem est*, *ac* Tu me doces. Johannes ab Austria & de Austria *rectè dicitur*.
3. *Nullus Genitivus ab Adjectivo regitur, nec ab ullo Verbo*.
4. *De Syntaxi hac*, Petendum est pacem: *deque formali & materiali Accusativo, qui à Verbis regitur*.
5. *Nullum esse verborum Modum Potentialem, nec Permissivum*.
6. Scio quod es doctus, *vel* sis doctus: & scio te esse doctum, *indifferenter dici. Quæque sint virtutes ac vitia Lexici sive Thesauri linguæ Latinæ*.
7. *De Syntaxi* Visum ire, & Visum iri: *deque Nominibus Verbalibus, præcipuéque Participiis*.
8. *De Relativorum, præcipuéque Reciprocorum Syntaxi*.
9. *Annotationes in Alvarum de Syllabarum quantitate*.
10. *De versuum Comicorum dimensione*.

Illu-

Illustrissimo Viro

BALDUINO DE MONTE SIMONCELLO

MARIANGELUS A FANO BENEDICTI S. P. D.

I.

NOn vereor, ne quisquam eorum qui te norunt (quis autem paulo humanior in Italia te non nosset, tam illustri nobilitate virum, & Latinæ atque Hetruscæ eloquentiæ tot jam libris testatæ fama clarum?) me parum in eo decorè facere simulet, quod cùm Marti jam opereris, & legioni classique præsis, ad te de literis referre non dubitem. Sciunt enim omnes, te haud paulo rectius, quàm Homericum illum Asteropæum, ἀμφιδέξιον sive *Æquimanum* aut *Ambidextrum* perhiberi, qui pari facilitate belli pacisque artibus, armis & literis ad ætatis nostræ ornamentum uti soleas. Mihi hoc præterea satis exploratum est, te quicquid otii tibi suppeditat, in nulla re libentius conterere, quàm in eo literarum genere, quod nomen ab humanitate mutuatum est. Ejus quippe rei pernoscendæ occasio decem abhinc mensibus Pascasii Grosippi nostri beneficio mihi obtigit: ad quem cùm hospitio in hac urbe nostra divertisses, dignus fui habitus te tantum *compellare virum, & dextra conjungere dextram*, atque adeo tuo aliorumque doctissimorum hominum convictu uti, ac quemadmodum mihi visus sum, *epulis accumbere Divûm*. Inde ex eo tempore præstantes illas animi

& ingenii tui dotes colere non destiti, quodque natura fert, ut quos ipsi probamus, iis maximè probari nos velimus, aliquod mei erga te studii & amoris specimen edere jam diu constitui. Eo consilio nunc ad te mitto, quæ mihi Grammaticæ novæ Rudimenta, nonnullaque monita ex ejusdem Pascasii Grosippi Adversariis à me collecta ac digesta ad prelum adornanti, de capitibus quibusdam ad Latinæ orationis constructionem pertinentibus commentari visum est. Quibus si non omnino operam me lusisse, sed pretium aliquod laboris à me factum censueris, erit cur mihi gaudeam, meque minimè jam dubium mutuæ tuæ erga me voluntatis argumentum habere credam.

Novæ ergo Grammaticæ auctor, ut nosti, pag. 131. clari in literis nominis viro solœcismi dicam impegerat ob ista ejus verba, *Nos monitore necesse habemus*. Id vehementer Magistrum meum ejusdem docti viri disciplinæ alumnum pupugit: eaque is re advocationem Magistro commodare annisus est, cùm defenderet, non regularem in verbis illis syntaxin esse, sed figuratam, quippe in quibus cum præpositio *In*, tum substantivum nomen *Negotium* per ellipsin supprimantur, proinde acsi dictum foret, *Nos necesse negotium*, vel *necessarium opus in monitore habemus*: velut alter ille loquendi modus satis pervulgatus fidem facit, *Nos monitore opus habemus*, id est, nostrum opus & labor est in monitore, ut monitorem scilicet habeamus: pro quo aliter dicitur, *Monitor nobis opus est*, id est, monitor est illud opus, circa quod nos occupari convenit. Et, *Monitoris opus nobis est*: ubi Genitivus objecti significationem habet, velut auctor p. 128. monuit; sicut in hoc Plauti Persa, *Non habui ei fidem argenti*, id est, non credidi, eum mihi argentum daturum. Ita opus monitoris, sive de inve-

niendo monitore, nostrum nunc opus & labor est. Poëta in Triphallicis,

Nemo meo melius nervum tendebat Ulysse,
Sive illi laterum, seu fuit artis opus.

id est, sive laterum firmitas, sive ars & dexteritas quædam ad arcum intendendum requireretur. Plautino more dici etiam queat, *Monitorem nobis opus* vel *usus est*, præpositione *Ad* vel *Circa*, aut certè verbo *Esse* per ellipsin suppresso: quod tamen loquendi genus posteriores missum fecerunt. Sanctius quidem in Minerva negat Latinè dici, *Opus habeo monitore* vel *monitoris*. Sed auctor noster eum falli demonstrat. Utitur enim illo Columella argenteæ ætatis scriptor; & Græcorum imitatione satis phrasis illa defenditur. Utroque enim modo Græci dicunt, ἔργον ἐςὶ, *opus est*, & ἔργον ἔχω τοῦτο, *hoc opus habeo*. Mitto, quod nec ipso Tullio indignum esse hoc loquendi genus hic ejus locus in 2. de legibus monere nos videtur, *Tamquam hoc operis habuerit, ut hanc nobis sedem efficeret ad disputandum.* Hoc enim perinde est, acsi dixisset, *Tamquam facere nobis hanc sedem opus habuerit.* Certum præterea est, *Usum* & *Opus* promiscuè in eodem sensu dici. Virgil. *Nam nec erat coriis usus*, id est, nulla utilitas erat in coriis. Sallust. 1. histor. *Vinarii laniique quorum præterea vulgus in dies usum habet*, id est, quorum vulgus quotidie opus habet, quibus quotidie utitur. Nihil ergo intercedit, quin bene Latinè dictum putetur, tam *Opus*, quàm *Usum habemus monitoris* aut *monitore*. Sed in *Necesse* longe alia est ratio: cùm ea constructio nec regulis artis, nec consuetudini bene loquentium sit consentanea. Si enim *Necesse* accipias pro adverbio, ut vulgo solent, nullo genere minor erit dicti absurditas, quàm si quis diceret, *Necessario habemus monitore*; ubi quid sit, quod habemus, intelligi non potest: sin autem

quis concedat, nomen adjectivum esse, (quod vir ille doctus vel ex Calepino suo discere poterat, quem ab auctore nostro nullo numero haberi ridiculè indignatur) non potest nomen ejus substantivum in eo subaudire, nisi id alicubi à locuplete aliquo Latinitatis auctore expressum ostenderit. Ellipsis enim est figura Latinæ consuetudinis. Nisi quis ergo doceat, Latinos consuevisse eo modo loqui, recusare non potest, quin quod nec regulis, nec consuetudini est consentaneum, solœcismus censeatur. Itaque minimè dubium est, quin & ille σολοικίζειν judicandus sit, qui dixerit, *Multas arbores cædendum iri puto* : nam etsi hæc syntaxis ratione non destituitur, si ad ellipsin referatur, quasi esset, *Viam iri puto ad cædendum multas arbores*, quomodo auctor noster in hoc altero fieri docuit, *Multas arbores cæsum iri videtur*. Quo exemplo promiscuè dici planum est, *Canes venatum ducere*, & *ad venatum*, & *ad venandum*; similiterque, *Ivit oppugnatum urbem*, & *ad oppugnandum urbem* : quia tamen nemo unquam sic locutus est, ut in participiis ejusmodi passivis præpositionem supprimeret, ipsum loquendi genus non minus consuetudini, quàm regulis adversatur, eaque re solœcismi notam ducit : quod omnes diligenter ac sine vitio Latinè scribere cupientes in primis meminisse Grosippus monet, ne syntaxi figurata freti, nova loquendi genera comminisci, solutum sibi esse liberumque perperam arbitrentur. Exempli gratia, Latinæ consuetudini congruit, ut dicatur, *Homini id ætatis tantum onus imponere non audeo. Non te hominem id ætatis mentiri pudet. Hoc noctis domo prodire non audeo.* In quibus *Ad tempus*, vel *Circa tempus* subauditur, velut ex aliis Plauti ac Ciceronis locis discimus. Similiter dici solet, *Venit id temporis, ut retinendus esset* : ubi *Negotium* supprimitur, ut *Negotium* vel *Res temporis*

temporis pro *Tempus* ponatur. Non tamen soloecismi crimen effugerit, si quis dicat cum Tacito, *Hominem id auctoritatis*, vel *id sapientiæ, talia designare turpe est*. Etsi enim dicas *Id sapientiæ*, valere *Ejus sapientiæ*, rationem tamen locupletium scriptorum auctoritas deficit. Cæterum, quod doctissimus Alvarus vix credit futurum tempus in participiis passivis in *Dum* exeuntibus, & cum verbo substantivo positis significari, de eo ut subdubitem facit hic Cæsaris locus lib. I. belli civil. *Misericordia civium, quos interficiendos videbat*. Nam hic verbum *Esse* supprimi, satis planum est: neque ullus relinquitur dubitandi locus, quin *Interficiendos esse*, non sit aliud, quàm *Interfectum iri*: quo quidem non *debitum, officium*, aut *necessitatem*, quod perperam Alvarus sibi persuaserat, sed futurum tempus significari tam clarum est,

Quàm Solis radii esse, olim cùm sudum est, solent.

Vale literatæ nobilitatis decus, facque ut Milesiæ tuæ, quod expectare nos jubebas, tandem exeant, & ab omnibus lectitari possint. Mediol. postrid. Kal. Jan. anni ineuntis M. D C. XXIX.

Nobilissimo & Ornatissimo Viro

ALBERICO SEPTALIO JC.

MARIANGELUS A FANO BENEDICTI S. D.

II.

SCis mirari multos ac negare satis intelligi posse, quod Grosippus in verbis passivis, cum præpositione *A* vel *Ab*, & subjecto Ablativo constructis, rem agentem significari neget. Satis quippe

quippe perspicuè rem agentem apparere, si dicam, *Ego à te doceor*, cùm sensus sit, *Tu me doces*. Verum iis, qui sic disputant, statim regerere licet, non minus verborum illorum hunc esse sensum, *Ego à te disco*, aut *de te fio doctior*: in quibus verbis rem agentem nec ab ullo verbo passivo, nec à præpositione significari planum est. Similiter cùm dico, *Tu à me amaris*, non mea magis, quàm tua exprimitur actio, cùm exponere sic liceat, *Tu à me amorem habes*, *tu es mihi in amoribus*. Rectè proinde in Propædia Logica Grosippus monet, accuratè rationem habendam esse, quid formaliter & ex se, quid materialiter & ex eventu, seu per accidens, oratio significet. Hoc quippe fortuitum esse & accidentarium, quod verba hæc, *Tu à me amaris*, sic explicentur, *Ego te amo*, cùm non minus alia ratione qui velit, ea explicare possit. Ex ipsa vero verborum vi hunc esse illorum sensum, *Tu ex parte mea amaris*, *hinc amaris*, ex ea scilicet parte aut loco, ubi ego sum. Voces enim quemcumque locum significantes, pariter *in Loco rationis*, & *in Loco rei* usui esse, hoc est, tum in vero loco propriè dicto, tum in eo, quem per analogiam pro loco mente concipimus. Jam voces *Unde*, *Hinc*, *Inde*, *Nusquam*, *A*, *Ab*, *De*, *Ex*, propriè significant locum, à quo actio aut passio aliqua proficiscitur: per similitudinem vero Causas, Subjecta, Adjuncta, Totum, Partem, præcipuèque Tempus, à quo quid cœpit. Hoc pluribus exemplis in eadem Propædia demonstratum nosti: quorum pauca tibi in memoriam reduci, minimè spero ingratum habebis. Si ergo dicam, *Unde fuit Hannibal? Indidem unde & Hasdrubal*, nimirum *Carthagine*, *à Carthagine*, *de*, vel *ex Carthagine*. *Unde exsulavit Ovidius? Roma* vel *Patria*, ubi præpositio subauditur. *Unde scripsit? De Ponto*, vel *ex Ponto*. In istis Locus propriè dictus; sed

ſed in iis, quæ ſubjiciam, locus Imaginarius aut Tropicus ſignificatur. *Unde eſt tabellarius? A patre*, tamquam à loco, in quo eſt pater. Similiter *Miſſus eſt à patre*, locum ſeu partem, non rem agentem ſignificat: ſicut in Sacris, *Spiritus Sanctus, quem Chriſtus miſit à Patre. Unde dabitur mihi viaticum? A me dabitur*, vel *Hinc dabitur*, *A me dabo*. Livius, *Plures ab Romanis equites ceciderunt*, id eſt, à parte Romanorum: ſicut *A Cæſare allatæ ſunt literæ*, pro literæ Cæſaris: ſicut *Reus à Milone*, pro Milonis reus: *Fulgor ab auro*, pro auri fulgor: *Servus à milite*, pro militis ſervus: *Pars de mœnibus*, pro mœnium pars. Cic. *Diligentia à me expectatur*, id eſt, alii hinc à me diligentiam expectant. Plaut. *Gutta à me auferri non poteſt*, id eſt, tu guttam hinc à me auferre non potes. Idem, *Decet id abs te impetrari*, hoc eſt, me inde à te id impetrare. Livius, *Ab Latinis res repetitæ*, non ſignificat Latinos res repetiiſſe, ſed Romanos inde à Latinis. Verum quidem eſt, in Paſſivis verbis nonnumquam agentis rei ſignificationem eſſe: ſed id fit per accidens, quoniam Cauſa agens, ſive princeps, ſive adminiſtra, aut inſtrumentalis, tamquam Locus, à quo motus principium eſt, concipitur: ut, *A Scipione victus eſt Hannibal*. Sed id non minus Activis verbis contingit: ut, *A Scipione cladem accepit Hannibal. Ab Achille periit* vel *occidit Hector*. Inde nimirum, id eſt, à parte vel loco Achillis, tamquam à cauſa efficiente, profectus eſt motus, nempe cædes aut caſus. Sic in Ithyphallicis habemus, *Membrum quæritis, unde procreamur*. Quomodo Hyginus in fabulis, *Gladius unde ſe Ajax interfecit*.

Ovid. *Pectora trajectus Lynceo Caſtor ab enſe*.

Idem, *Neve peregrinis tantum defendar ab armis*.

In quibus cauſa inſtrumentalis ſignificatur, unde velut à Loco effectus cœpit: quod ipſum ſimili-

ter

ter in materiæ significatione usuvenit. *Unde casa ista est composita? Luto*, vel *de luto, ex luto*. Curtius lib.8. *Terra lini ferax, inde plerisque sunt vestes*. Sic, *Unde crevit Roma? Albæ ruinis*, seu *de ruinis*, aut *ex ruinis*. Totum quoque ut locus concipitur in isto, *Hinc inde est, de illo grege, de illis* vel *ex illis*. *Duo fratri meo sunt filii: inde majorem adoptavi mihi. Versus de Phænissis*, sive ex tota Comœdia Phænissarum. *Nihil de sacro, nihil ex publico attigi*, id est, nullam partem ex toto sacro aut publico. *De die convivia facere*, id est, inde à parte totius diurni temporis. *Non mihi partem istinc posco de isto vidulo*, pro partem totius viduli. Subjectum similiter: ut, *Unde emisti hos captivos? Emi de præda, de quæstoribus*. Ubi prius *De* Totum, posterius Subjectum notat, cùm servi sint adjunctum domini. *Quæsivi de illo*, pro *ex illo*, tamquam notitiæ subjecto. De Tempore notius est, quàm cui verba debeant impendi: quis enim nescit, *Inde, Hinc, Dehinc*, & *Deinde* Tempus, à quo motus principium habet, significare? In quem modum voces quoque Locum, in quo quid est, significantes, ad Temporis notationem transferuntur, ut *Ubi* valeat Cum, *Hic* & *Ibi* verò Tum. Plaut. *Ubi voles pater esse, ibi esto*, pro quando voles, tum esto: sic, *Erit ubi vos ulciscar locus*, pro tempus cùm ulciscar. *Non est nunc narrandi locus*, pro tempus quo narretur. Sed longum nimis sit omnia, quæ Propediæ Logica & Rhetorica suppeditant, hoc loco iterare. Illuc ergo revertor, unde abieram. *Ego à te doceor*, formaliter non est idem, quod Tu me doces, sed Ego istinc, sive à tua parte doctrinam capio, seu doctior fio: nam & præpositioni *De* locus est, ut Plaut. *Alios de te fieri doctiores*, id est, de te discere. Idem Pseud. *Aufereturne id præmium à me, quod promisi per jocum? SI. De improbis viris auferri præmium & prædam decet*. Ubi videmus, *Aufe-*

retur

retur à me, non esse aliud, quàm *Auferetur de me*. Pari modo *Tu à me amaris*, formaliter non rem agentem, sed partem sive locum significat, acsi esset, Tu hinc à me amorem habes, vel ex mea parte amaris: quomodo Catullus nos interpretari docet his versibus,

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Verè, quantum à me Lesbia amata mea es:
Nulla fides ullo fuit umquam in fœdere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

Similiter quod est apud Terent. Phorm. *Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia*, id valere *ex parte illius*, hæc nos Cæsaris verba docent lib. I. belli civil. *Pauca apud eos locutus, quod sibi à parte eorum gratia relata non sit pro suis in eos maximis beneficiis, dimittit omnes incolumes.*

Jam nec illud satis probatur multis, quod de adverbiis motum ex loco significantibus Grosippi ejusdem tradit Grammatica, *Johannem de Austria*, perinde atque *Ab Austria* rectè Latinè dici, suppresso nomine *Ortus*, vel *Oriundus*, vel *Natus*, ut idem sit, quod *Johannes homo Austrius* vel *Austriacus*. Sed quàm illi in Latinis auctoribus hospites sint, nihil negotii sit magno testimoniorum cumulo demonstrare, ex quibus planum fit veteres significando motui ex loco, Ablativis cum præpositionum aliqua, ut *A*, *Ex*, *De*, sive expressa, sive suppressa, uti consuevisse. Virg. *Pastor ab Amphryso*, pro Amphrysius. Livius, *Turnus Herdonius ab Aricia*, pro Aricinus. Cicer. *Homo obscuro loco*. Plaut. *Adolescens de summo loco*. Hygin. *Theseus ab Athenis*, pro Atheniensis. *Amphidamus de Arcadia*, pro Arcas. Iterum Cic. *De Gyaro scripsi*, pro ex Gyaro. Et Plaut. Trucul. *Tres adolescentes, Rure unus, alter urbe, peregrè tertius*. Terent. *Mercenarium à villa vidi*. Similia horum passim sunt obvia. Illud tamen in-

solentius

solentius non nemini videtur, quod Paradoxa literaria pag. 61. in Plauto reponendum docuerunt, *Non sum Animula*, pro non sum ab Animula Apuliæ oppido. Sed neque hujus generis non plurima leguntur. Cæsar lib. 1. civil. *Reducitur ad eum deprehensus ex itinere Cn. Magius Cremona, præfectus fabrum Pompeji*, pro Magius Cremonensis, ens à Cremona, vel de Cremona ortus. Sic lib. 3. civil. *Cæsar desideravit C. Fuginatem Placentia, Agravium Puteolis*, pro Placentinum & Puteolanum. Plaut. Merc. *Video hospitem Zacyntho*, pro Zacynthium, à Zacyntho. Et Asin. *Periphanes Rhodo, mercator dives*, pro à Rhodo, Rhodius. Propert. lib. 4. *Erat Crotalistria Philis*, pro à Philis, urbe & insula Nili. Ibid. *Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis*, pro à Cadis, urbe Mygdoniæ: etsi in veteribus membranis non *Cadis*, sed *Modis* legi, in Grosippi codice annotatum vidi: quod & rectius puto. Atque hinc opinor intelligis nihil à Latinè loquentium consuetudine abhorrere, si quis te *Albericum Septala*, aut *de* vel *à Septala*, vel *Septalium* compellet: quomodo me quoque *Mariangelum à* vel *de Fano Benedicti* profiteri soleo, quod castellum Novocomensis agri, ubi D. Benedicto fanum fuerat constitutum, ex quo & vulgo *S. Benedetto* vocatur (velut monumenta vetera fidem faciunt) majorum meorum juris fuerit. Sed quidni ego ex penitis faucibus despuo *Fuerit*, verbum nihili, cui lumbos defractos velim?

Omne ego pro nihilo esse duco, quod fuit, quando fuit.
Tamquam hominem quando animam efflavit, quid eum quæras, qui fuit.

Tu me, nobilissime juvenis, quod facis, ama, & Vale.

V. Claris-

Viro Clarissimo

PAULO JOSEPHO MERONO,

Theologo & Philologo præstantissimo,

MARIANGELUS A FANO BENEDICTI S. D.

III.

SEcutus tuum, Vir clarissime, consilium, quod nuper Romam discedens mihi dederas, Pascasii Grosippi ad Logicas, & Rhetoricas Acroases Propædiam diligenter legi, ejusque facti hoc nunc fero pretium, ut & Latinæ syntaxis fundamenta penitius perspiciam, & in bonorum auctorum lectione minore negotio procedam. Nec dubito ubi processu ætatis ad Philosophiæ aliarumque disciplinarum studium appulero animum, quin præsentes ejusdem Propædiæ utilitates magis experiar, quod ut tantus Theologus ac Philosophus, mihi futurum haud dubitanter confirmabas. Confido me rem tibi minimè ingratam facturum, si nonnullum ejus, quod dixi, specimen tibi exhibeam. In ipso ergo velut aditu Propædiæ Logicæ, ubi de Terminis seu Vocibus agitur, Terminum simplicem esse didici unicum vocabulum plurium vim habens, sicut *Nemo* valet hæc duo *Nullus homo*: & hujus generis esse pleraque nomina adjectiva cum Genitivo casu posita, & omnia adjectiva neutra sine substantivo posita. Itaque minimè jam obscura mihi videtur constructionis ratio in iis loquendi generibus, ubi Genitivus, quem Philosophica Grammatica pariter apud Græcos & Latinos perpetuò à nomine substantivo, aut à præpo-

sitionum aliqua regi contendit, ab Adjectivo pendentis speciem habet. Verbi gratia, *Demænetus est amans uxoris.* Hic *Amans* nomen est adjectivum, in quo substantivum subaudiri necesse est, cùm ratio postulet, ut uno Relatorum posito simul & alterum ponatur. *Amans* igitur est *Homo amans.* quæ duæ voces vim habent nominis Substantivi, quod est *Amator.* Plaut. Pæn. *Siccine oportet homini amanti operam dare?* Et Pseud. *Ne me perdas hominem amantem.* Ita planum fit, genitivum *Uxoris* à substantivo regi. Sic, *Parmeno est domini similis.* In adjectivo *Similis* substantivum *Homo* subauditur. Duæ verò voces *Homo similis*, unius substantivi nominis vim habent, unde genitivus *Domini* regitur, quasi esset, *Assimilator Domini.* quæ ipsa in multis aliis est ratio: ut, *Par, æqualis, servus, socius, maritus, propinquus, vicinus, fidus, amicus, proprius, alienus, superstes, conscius, contrarius, &c.* neque refert, quod sæpe nullo substantivo nomine res per adjectivum significata exprimi potest, cùm rerum numerum verbis minimè exæquari libenter omnes Philosophi assentiant. Itaque cùm legimus *Corpus patiens inediæ,* satis est nos intelligere in adjectivo substantivum aliquod suppressum esse, duabusque vocibus unam rem significari, acsi foret, *Passor* seu *Tolerator inediæ.* Sic *Memor virtutis,* pro *Homo memor* valet *Recordator*, *Liberalis pecuniæ* est *Largitor.* In adjectivis porrò neutris plerumque *Negotium*, *Opus* aut *Factum*, Transcendentes voces subaudiri, satis jam Grammatica Philosophica demonstratum vidisti: quod genus sunt ista, *Triste lupus est stabulis, Tantum fidei, Multum diei, Parum argenti, Hoc literarum, Id hominis, Id loci, Quid causæ, Quid mulieris uxorem habes.* Est autem *Negotium mulieris* idem quod *Mulier*, sicut *Res cibi* est *Cibus.* Plaut. Stich. act. I. sc. I. *Virorum absentum negotiis sollicitæ sumus,* pro De viris absentibus.

absentibus. Cicero 2. ad Quinctum Frat. epist. 12. *Callisthenem, & ad Philistum redeo, in quibus te video volutatum. Callisthenis quidem vulgare, & notum negotium, quemadmodum Græci aliquot locuti sunt. Siculus ille, capitalis, creber, acutus, brevis.* ubi *Negotium Callisthenis* ponitur pro *Callisthenes*, cujus dictio significatur esse vulgaris, cui multi Græcorum sint similes, cùm aliter sit in Philisto. Sic *Res hominum & Deorum*, pro homines & Deos dixit Virgilius: *O qui res hominumque Deûmque Æternis regis imperiis, & fulmine terres.* pro quo Horatius, *Divosque mortalesque turmas Imperio regit unus æquo.* Ovidius Omnia hominum negotia similiter, sed per ellipsin, pro Omnes homines dixit: *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.*

Post atque haud multo, ubi de Suppositione præcipitur, Reduplicativam, seu Restrictivam suppositionem in Scholis Logicis vulgo perhiberi invenio, quæ vocem aliquam particula restrictiva seu limitante determinat, ac velut coërcet, & ad certam totius partem adstringit. Ejus generis particulas esse *Qua*, pro *A* vel *ex qua parte*, *Quatenus* pro Qua fine tenus, *In quantum*, *Secundum*, *Ratione*, *Respectu*: ut, *Animal sentit, qua animal est, Homo quatenus homo ridet, Christus est filius David secundum carnem*, vel *respectu* aut *ratione carnis*. Sed etiam præpositionibus *Ad*, *A* & *Ab* expressis, aut suppressis hujusmodi restrictionem solere significari: ut apud Sallustium, *Modestus ad dominationem*, & *Sanctus alia*, pro Quod ad dominationem, quod ad alia attinet. Virg. *Omnia Mercurio similis*, pro Ad omnia. Idem, *Faciemque simillima lauro*, pro Ad faciem.

Horat. *Nec sævis animum mitior anguibus.*

pro Ad animum, ab animo, vel animo. Plaut. *Ab ingenio improbus* vel *senex. Ab armis valeo ut lupus, clunes infractos gero. A pecunia haud perbene valeo.* Cicer.

Inops ab amicis. Ab equitatu firmus, ab exercitu instructus, à militibus & à pecunia imparatus. Interdum *Quod ad*, vel *Quantum ad* Latini dicunt eodem sensu, verbum *Attinet* per ellipsin supprimentes. Livius lib. 8. *Otium inde quantum à Volscis fuit*, id est, quantum attinet à Volscis, sive ad Volscos. Ovid.

Quantum ad te Theseu, volucres Ariadna marinas
Pavit in ignoto sola relicta loco.

Barbari porrò ex *Quod ad* fecerunt *Quoad*, ut dicant, *Homo mortalis est, quoad corpus, non quoad animum.* Atque iste solœcismus duobus Varronis locis indoctorum librariorum opera insedit, lib. 7. de ling. Lat. *Hæc sigillatim triplicia esse debent, quoad sexum, multitudinem, casum.* Et 1. rei rust. 9. *Quoad culturam refert: utrum terra sit macra, an pinguis.*

Jam quo loco de Forma sermo est, monet eadem Propædia solere Latinos Formam per Accusativum & Ablativum expressum aut suppressum, itemque Præpositione *Per*, *In*, *Ex* aut *Cum*, similiter vel expressa vel suppressa significare. Dicunt videlicet Lætus lætitia, & Iratus iracundia, & Falsus falsimonia, & Honestus honore. Plaut. Pseud. *Ut mea lætus lætitia siet.* Et Curc. act. 4. sc. 3. *Non ego mediocri incedo iratus iracundia.* Et Bacch. *Multi quos censeas esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis.* Capt. *Honore honestiorem me semper facit*: in quibus Præpositionem *Ex*, à qua regatur Ablativus, subintelligimus. Sed non minus Accusativo eamdem ad rem usos suspicari libet, ut *Lætus lætitiam* dicerent: sicut in Plauto sunt *Ædes clara clarorem merum*, pro quo & *clarore mero* dici poterat. In Verbis quidem videmus eos Atticorum more cognato Accusativo, vel Ablativo formam actionis significare solitos. Dicunt enim *Vivere vitam* & *vita*, *Servire servitutem* & *servitute*, *Currit cursum celerem* & *cursu celeri*, *Ire iter* & *itinere*, *Ludere ludum* & *ludo*, *Gaudere*

dere gaudium & *gaudio*, *Lætari lætitiam* & *lætitia*, *Precari aliquem preces*, *precibus*, *per precem* & *cum prece* (ut Liv. *lib.* 9. *Legati missi ad pacem cum precibus petendam*) *Pugnare pugnam* & *pugna*, *Saltare saltationem* & *saltatione*, *Dolere dolorem* & *dolore*, *Ridere risum* & *risu*. In quibus omnibus casus Formam significantes sunt expressi: nam *Lætitia* est forma læti, *Ira* irati, *Vita* viventis, *Cursus* currentis, &c. In aliis casus per ellipsin supprimitur, ut *Pabuli lætus ager*. Subauditur enim substantivum *Lætitia*, à quo Genitivus regitur. Sic *integer vitæ*, subaudi Integritate, *Purus sceleris* puritate, *Peritus juris* peritia, *Potens sui* potestate, *Cupidus vini* cupiditate, *Miser animi* miseria, *Avidus cibi* aviditate, *Memor tui* memoria (quomodo memoria memini, & memoria oblitus. Plaut. Capt. act. 2. sc. 3. *Istuc ne præcipias, facilè memoria memini tamen*. Trin. act. 4. sc. 3. *Tribus ne poteris te memoria oblitum*) *Similis alicujus*, similitudine, *Cumulatus scelerum* cumulo, *Satur rerum* saturitate, *Onustus auri* onere, *Orbus auxilii* orbitate, *Plenus vini* copia (quod idem valet ac plenitudine) *Refertus nugarum* copia, *Abundans lactis* abundantia. Hinc porrò minimè magni negotii est, syntaxeos rationem expedire in plerisque verbis cum Genitivo constructis, si omnem genitivum à nomine substantivo regi meminerimus, tum omne verbum activum accusativo Formam significante, sive expresso, sive suppresso conjunctum esse. *Ango me animi* vel *Angor animi*. Subaudire licet *angorem*. *Excruciare se animi* cruciatum, *Fallit me animi* falsimonia sive error, *Desipere mentis* insipientiam, *Fastidire alicujus* fastidium, *Potiri hostium* potestatem, *Misereor tui* miseriam, *miseret me tui* miseria, *Pudet me facti* pudor, *Piget me laboris* pigror seu pigritia, *Tædet me illius* tædium, *Pœnitet dicti* pœna, *Agere furti* actionem, *Admonere periculi* monitum, *Non fallebar sermonis* falsi-
 moniam

moniam vel errorem, *Meminisse alicujus* memoriam, *Studere alicujus* studium, *Invidere alicui rei alicujus* invidiam : sicut Horatius ---- *nec illi Sepositi ciceris , nec longæ invidit avenæ* ; & Græci φθονῶ σοι εὐτυχίας , subaudi φθόνον. nam & Græcæ syntaxis regulæ ad hunc modum corrigendæ sunt. Simul tamen verum est , quod Grosippus in Propædia de Causa præcipiens monet , Causam sive suo vocabulo expressam , sive *Gratia, Nomine , Ergo , Opere, Facto, Merito* , aut aliis vocibus significatam, alias disertim poni , alias per ellipsin reticeri, indeque Genitivum regi : ejusque ellipseos conjecturam ex eo duci , si Genitivus per Accusativum aut Ablativum cum præpositionibus *Ob, In, Ad, Ab, De , Ex* , causæ significationem habentibus, iisque vel expressis, vel subauditis explicari possit , ut *Lator* & *latus laborum*. Subauditur *Causa* vel *Ergo* vel *Gratia* , cùm eodem sensu dicere liceat *Laboribus , ex laboribus, ob labores . Indoluit successorum Minervæ*, subaudi *Causa* , quia est *Ob successa, successis* aut *ex successis*. Bona scilicet Minervæ successa dolorem efficiunt.

Notat autem Grosippus noster idem ipsum in voce *Causa* apud Latinos , quod apud Græcos in Adverbio seu Præpositione ἕνεκα usuvenire: ut videlicet cum verbis & nominibus sive expressa , sive suppressa Genitivum regat , & alias vim Præpositionis *Propter* habeat,alias restrictionem vel certam partem significet , acsi esset *Ad , A , Quantum ad* , seu barbarè *Quoad*. Tamquam si dicam , *Hoc unum bene fecit, etsi aliarum rerum est improbus.* Subauditur *Causa*; quod nonnumquam Cicero exprimit. Utrovis autem modo explicari potest , sive *Propter res* , sive *Quantum ad alias res attinet.* quibus duplex sensus similiter erit , si præpositione *A* , causam significante , utamur hoc modo , *Ab aliis rebus est improbus* , vel per ellipsin , *Aliis rebus* : quæ

loquendi

loquendi genera passim sunt obvia. Ita plana est Syntaxeos ratio in istis, *Sanus mentis* & *animi*, *sanus animo* & *ab animo*, & *sanus animum*, *Falsus animi*, *miser animi*, *suspensus animi*, *Vacuus rerum* & *rebus*, *Nudus opum* & *opibus*, *Terra ferax uvarum* & *uvis*, *Notus ingenii*, *ab ingenio* & *ingenio*, *Dignus laudis*, *ad laudem* & *laude*, *Cassus luminis* & *lumine*. Nimirum Ablativi à præpositione Causam vel Partem significante, Genitivi à nominibus *Causa*, *Gratia*, *Ergo* (id est, *Opere* vel *Facto*) *Nomine* aut *merito* reguntur. Causa vero significat omne id, quo vel præsente, vel absente & permittente, seu non impediente, quid fieri videtur, quam *Causam Inficientem* & *Otiosam* Grosippus vocat: ut in hoc Plauti, *Mea causa salvus sis licet.* pro quo idem alias, *Per me salvus sis licet*, id est, Quod ad me attinet, non impedio quin sis salvus. Quoniam vero vox *Causa* etiam rem significat quæ in disceptationem venit, eo fit, ut in verbis judicialibus subaudiatur, ac suppressa Genitivum regat: ut *Accusare furti*, nempe Causa, ob furtum, de furto, *Insimulare cædis* & *de cæde*, *Postulare majestatis* & *de majestate*, *Liberare aliquem culpa*, *culpa*, *à culpa*, *Absolvere sceleris*, *scelere*, *de scelere*, *Adstringere* vel *Alligare se furti* & *furto*, *Damnatus voti* & *voto* seu *de voto*, *Condemnare sacrilegii* & *de sacrilegio*, *Perdere aliquem capitis*: ubi *Causa* vel *Crimine capitis* est, Causa vel Crimine capitali. *Ergo* meministi monere Grosippum, esse Ablativum à Græco ἔργον, idemque valere, quod Opere sive Facto, ut *Amoris ergo*, sit Facto sive Causa amoris, quod amor fecit, sive cujus causa fuit. Ita Plaut. Bacchid. *Metuo ne Phœnix factis tuis fiam*, id est, Tui causa, propter te. Et Mercat. *Tu quemvis confidentem facilè tuis factis facis.* Nam *Facere* significat Causam esse: ut apud eundem in Bacchid.

Id mihi haud utrum velim licere intelligo:
Ita bellum hospes fecit Archidemides.
Ita feci ut auri quantum vellet, sumeret.

De *Nomine* pro Causa satis multa in Paradoxis literariis dicta puto. Ciceronis tamen locum non possum, quin recitem ex Vatiniana, *Ut tu me carum esse dixisti populo non tam causa mea, quàm Reip. sic ego te dico esse odio civitati non tam tuo, quàm Reip. nomine.* Ejusdem est, *Damnatus nomine conjurationis.* ubi *Nomine* per ellipsin omitti poterat: sicut etiam in isto, *Me tibi nomine negligentia suspectum esse doleo.* Rectè enim dicitur *Suspectus negligentia, negligentia, de negligentia, super negligentia,* & *in negligentia.* Præcipuè tamen *Nomen* id videtur significare Causæ genus, quod non tamen rei causa est, quam esse præfertur. Virgil. *Conjugium vocat: hoc pratexit nomine culpam*, id est, suum cum hospite concubitum excusat prætexto conjugii nomine. Nomen ergo conjugii non tam causa est, quàm prætextus consuetudinis Æneæ cum Didone. Postea ad significandum quodvis causæ genus usui esse cœpit: quomodo & *Gratia*, cui scilicet res effecta refertur accepta. Pacuvius, *Quem fama gratia ante omnes nobilitat viros*, id est, qui propter famam, seu famæ ergo est nobilissimus: pro quo & *Fama merito* dicere poterat, ut Ovid. in Sapphus epistola, *Et forma meritis tu mihi Phœbus eris*, id est, formæ causa, seu propter formam, sive ut Plautus amat dicere, *Virtute forma.* Sed quid ago? quin manum tollo de tabula, nisi patientia tua abusum merito me existimari nihil pensi habeam. Vale, virorum optime, mihique virtutis ac doctrinæ tuæ admiratori favere perge. Mediolano, Kal. Martias anno 1629.

AUGU-

AUGUSTINO MASCARDO

Viro Clarissimo

MARIANGELUS A FANO

BENEDICTI S. D.

IV.

QUo tempore ingenii tui monumenta penes Grosippum vidi, ex eo cum admirari te & colere cœpi, tum mei erga te affectus tibi declarandi occasionem mihi evenire magnoperè concupivi. Nunc ipsum ergo prelo subjecturus quæ ille nuper de quodam loquendi genere subtiliter disseruit, minimè ingratum tibi facturus videor, si ejus disputationis judicem te capiam, quem ipse Grosippus elegantissimè Latinè scribere agnoscit, nec temerè quemquam hac ætate sive soluta, sive numeris adstricta oratione te priorem inveniri censet. Tu, vir præstantissime, quod à me fit, boni pro humanitate tua consules, meque mutua tua benevolentia dignum arbitraberis. Vale.

De ratione Syntaxeos in illo,

Petendum est pacem.

Ex Pascasii Grosippi Adversariis.

OMnem Accusativum à præpositione, aut à verbo activo regi certum est. Hic nulla est præpositio expressa, aut subaudienda, à qua accusativus *Pacem* regatur. Necesse est ergo regi à verbo activo sive expresso, sive suppresso. Hic porrò nullum verbum activum exprimitur. Itaque suppressum sit ac subaudiri debeat, necessum

sum est. quod autem illud sit verbum, hinc potest intelligi. Omne verbum finitum habet pro supposito nominativum expressum aut suppressum, eumque vel φωνῇ voce, vel δυνάμει potestate aut virtute, sive ut Scholasticè loquar, vel formalem aut actualem, vel virtualem aut potentialem. Nominativus virtualis, est verbum Infinitum nominis loco positum. Talis hoc loco subauditus est *Petere pacem*, quod idem est ac *Petitus*, vel *Petitio pacis* : pro quo fingamus licet vocem *Petimen*, vel *Petimentum.* sic plana exibit constructio, sive dicas *Petitus pacis est petendus*, sive *Petitio pacis est petenda*, seu denique *Petere pacem* aut *Petimentum pacis est petendum.* non aliter quàm *Petere pacem est necessarium:* ubi *Petere* manifestè vim Nominativi habet. quo autem modo verbum infinitum sive Infinitivi modi, loco nominis substantivi positum regat accusativum, Grammaticæ p.34. & Parad. p.6. & 7. exposui. Sed ne insolentior videatur cognati nominis aut verbi infiniti repetitio, audiatur Priscianus, cujus l.18. verba sunt: Si quis hæc impersonalia velit inspicere penitus, ad

> ipsas res verborum referuntur, & sunt tertiæ personæ, etiamsi prima & secunda deficiant: unde Participia inveniuntur, *Curritur cursus*, & *Decurso spatio.* Et mox: Possunt habere intellectum nominativum ipsius rei, quæ in verbo intelligitur. nam cùm dico *Curritur*, Cursus intelligitur; & *Sedetur*, sessio; & *Ambulatur*, ambulatio: sic & similia. quæ res in omnibus verbis etiam absolutis necesse est ut intelligatur, ut *Vivo vitam*, & *Ambulo ambulationem*, & *Sedeo sessionem*, & *Curro cursum.*

Nimirum omne verbum activum aut formalem, aut materialem accusativum regit. *Formalis* est, qui non potest in verbo non intelligi, cùm res ipsa verbo significata habeat ab illo essentiam seu naturam suam,

suam, ut sit scilicet quod est. Ita *Gaudium* est formale gaudentis, *Risus* ridentis, *Insania* insanientis, *Error* errantis. Tales ergo accusativi perpetuò intelliguntur in verbis sine accusativo positis, ut *Gaudet, Ridet, Insanit, Errat.* Exprimuntur autem, quoties modus agendi significatur, ut *Gaudet gaudium immodicum, Ridet risum ineptum, Insanit insaniam solemnem, Errat errorem turpissimum.* quorum significatio est, *Gaudet immodicè, Ridet ineptè, Insanit solemniter, Errat turpissimè. Materialis* accusativus est, quo objectum denotatur, seu materia circa quam actio occupatur, ut *Rogo te, Precor te, Rideo te, Eo viam, Peto pacem.* Utriusque porrò accusativi, hoc est, tam formalis, interni & cognati, quàm materialis, externi & alieni, vim ac potestatem habet verbum infinitivum nominis loco positum: nam *Incipit insanire*, valet Incipit insaniam; pariterque *Insanit insanire*, est Insanit insaniam. *Desiste petere*, pro Petitionem. *Disce silere*, pro Silentium. *Noli errare*, pro Errorem. Plaut. Bacch. *Hic vereri perdidit*, pro Verecundiam. Horatius, *Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum*, pro Reddes dulcem locutionem, & decentem risum. Similiter formali accusativo rectè dixerimus, *Ridet ridere decorum, Ludit ludere insolens*, pro *Ludum insolentem*, quomodo alibi Horatius loquitur. Sic certè *Properat properare citissimum*, pro Cito properat, Plauti imitatione dicitur, cujus verba sunt Aul. act. 2. sc. 2. *Nunc domum properare propero.* Idem Pseud. act. 5. sc. 1. *Pergitisne pergere?* pro Perrectionem. quidni ergo de candidato consulatum petente rectè dixero? *Petit petere minimè ambitiosum*, pro petitionem minimè ambitiosam, sive *Petere ejus, quod petit, minimè ambitiosum est.* In Hebraico quidem consuetudo fert, ut dicatur *Ambulat ambulare*, pro ambulationem, *Morieris mori*, pro mortem, *Venire veniet*, pro adventum, *Expectavi expectare* pro exspectationem.

tionem. Pariter apud Græcos legimus dictum *βῆ δ' ἰέναι, Abiit autem abire*, pro abitionem: *ἔφη φάναι, Dixit dicere*, pro dictum. Sed & Germani mei eodem modo, *Ich wil gehen gehen*, Ibo ire, pro Ibo itum sive itionem. nec dissimiliter Cic. 1. Acad. *Confestim ad eum ire perreximus.* Et in Arato, *Post hanc ore fero Capricornus vadere pergit.* Et Virgil. *Observans, quæ signa ferant, quo tendere pergant.* Et Terent. *Domum ire pergam.* In his omnibus Accusativi formalis loco verbum Infinitum ponitur: nam *Pergere, ire, tendere, vadere* sunt synonyma, ut sensu nihil differant; *Perrexit pergere, perrexit ire, perrexit vadere, perrexit eo tendere.* Quo pacto etiam in hoc Terentii formalis accusativus à verbo regitur, *Color ejus signum pudoris indicat.* Nam *Signum* ponitur pro *Indicium*, eoque forma verbi *Indicat*, non objectum exprimitur. Sic *Sentire*, hoc est, Audire *auditum*. Lucret. lib. 3. dixit, *Neque aures Auditam per se possunt sentire, nec esse:* quo etiam libro *Moveri motum* legimus, *Primordia conclusa moventur Sensiferos motus, quos extra corpus in auras Aëris haud possunt post mortem ejecta moveri.* Rarò autem usuvenit, ut idem verbum simul formalem & materialem accusativum regat: cujus rei exempla sunt apud Catonem de re rustica, *Jane pater, te bonas preces precor, ut sis mihi volens propitius.* Ubi in *Precor te*, est accusativus externus, alienus & materialis, sive objectivus. In *precor preces*, est internus, cognatus & formalis, qui semper in verbo *Precor* intelligitur, etsi numquam exprimatur. Hoc autem loco visus est exprimendus, quoniam diversa sunt precum genera. Sunt enim *Preces bonæ*, quibus bona à diis petuntur; sunt *Malæ*, quibus mala alicui imprecamur, quæ & *Diræ* & *Thyesteæ preces* vocantur ab Horatio. Solent autem Latini materialem accusativum in dativum convertere, quoties verbum activum, formalem

sive

five expressum, five suppressum regit. Verbi gratia, apud Virgil. *Optime Grajugenum, cui me fortuna precari Voluit.* Subaudimus accusativum formalem *Preces*: quomodo *Servire alicui*, subaudito interno accusativo *Servitutem.* aliter dicimus *Servire aliquem.* Turpil. *Quæ mulier volet sibi suum amicum esse diuturnum, modicè atque parcè ejus serviat cupidines.* Senec. *Assuescamus paucioribus servis serviri.* Plaut. *Matrona est unum inservire amantem.* Sic in *Nocere alicui*, subauditur *Noxam* vel *Nocumentum*; cùm aliter non malè dicatur, *Nocere aliquem.* Plaut. *Juro me nociturum esse neminem.* Sic in *Invidere alicui* deest *Invidiam*, cùm alioquin rectum sit *Invidere aliquem.* Ita in *Adulari alicui*, deest *Adulationem*: aliter enim *adulari aliquem* rectius dicitur. Nec aliter *Impedire alicui* dicitur, subaudito Impedimentum. Varro 9. de ling. Lat. *In vestimentis & ædificiis novitati non impedit vetus consuetudo.* Sic *Misereri alicui*, subaudi Miserationem. Hyginus fabul. 58. *Cui Venus miserta est.* Quintilianus pater Declamat. 272. *An matrem accusari æquum est, cui misereri satis non possumus?* nec tamen dissimulare possum, rectius videri, ut *Miseret me illius*, sit Misericordia illius, aut Miseria illius miserum me facit, id est, me cruciat, ut animi, vel ab animo miser sim; & *Misereor illius*, sit Miser fio illius miseria: cui consequens est, ut *Misereor tibi*, valeat Tua causa miser fio, sive animi discrucior; sicut *Gratulor tibi, Gaudeo tibi, Rideo tibi.* Nec dubito, quin ut *Curare alicui* frequenter veteres dixerunt, subaudito *Curam*, similiter *Amare alicui* dixerint, ut *Amorem* supprimerent, cùm *Amator alicui*, pro *alicujus* in Plauti Milite extremo legamus. Etiam *Basiare* dativum adsciscit, ubi formalis ejus accusativus exprimitur, ut sit *Basiare alicui basia*: quæ ipsa multorum aliorum est ratio, quæ enumerare longum sit.

Jam

Jam nec illud non ſatis exploratum eſt, quodcumque Nomen ſit verbi activi appoſitum, idem eſſe paſſivi, cum verbi, tum participii ſuppoſitum, ut *Amo pecuniam, Amatur pecunia, Amata eſt pecunia, Amanda eſt pecunia.* Itaque cùm *Curſus* vel *Currere* ſit appoſitum verbi *Currit:* rectè dicetur, *Curſus curritur*, vel *Currere curritur.* Eadem eſt ratio in iſtis, *Propero properare, Properare properatur, Properare properatum eſt,* & *properandum eſt. Pergam pergere, Pergere pergitur, Pergere perrectum eſt,* & *pergendum eſt. Precor precari*, id eſt, preces, *Precari precandum eſt. Servit ſervire, Servire ſerviendum eſt. Petit petere, Petere petendum eſt.* Cic. de Seneƈt. *Quam viam nobis ingrediendum ſit*: ſubaudi *Ingredi*. Si ergo dicam, *Ne malè audiamus verendum eſt*, ſubaudis Vereri. Ita *Pergendum eſt nobis hanc viam*, ſubaudimus Pergere. *Inſaniendum eſt cum furentibus*, ſupple Inſanire. ſicut *Inſanire cum furioſis neceſſarium eſt, Triſte inſanire hilari eſt periculoſius, Ridere decorum ſenectuti non contingit.* Ergo in *Ridendum eſt*, ſubaudimus *Ridere*, ſicut *Bibere* in *Nunc eſt bibendum. Tibi judicandum eſt rectène fecerim*, ſupple Judicare ſeu Judicium: quomodo Poëta apud Cic. I. Divin. *Paris judicavit judicium inclytum inter tres Deas.* Ita *Tibi ad illum eundum eſt*, ſubaudi *Ire*, quod valet Itus ſive Itio aut Iter, ut apud Horat. *Ire tamen reſtat, Numa quo devenit & Ancus.* Ita *Non eſt invidendum virtuti gloriam*, ſubaudi *Invidere:* quomodo *Invidere virtuti iniquum eſt.* Horum ſimilia afferri poſſent longè plurima: ſed merito vereor, ne vel iſtis nonnullam *periergias* aut ſupervacuæ operoſitatis notam duxerim. Hoc tantum dictis appingendum videtur, leporis Attici genus à Grammaticis cenſeri, ut verba cum cognatis accuſativis conſtruantur: tanquam *manian mainei*, inſanit inſaniam, vel furit furorem, *phygen pheugei*, fugit fugam, *Leron Lereis*, nugas nugaris, *mochthon*

mochthei,

mochthei, laborem laborat, *archein archen despoticen*, imperare imperium herile, *machomai machen*, pugno pugnam, *pheresthai phoran*, ferri lationem seu moveri motum, *tolmasthai mega tolmema*, magnum ausum audere, *hybrin hybrizeis*, quod Latini redderent, *Injuriè es injurius.* pro quo Barbari *Injuste injurias*, id est, contumeliam *facis.* Cæterum quod interesse Lucianus putat inter *hybrizo se* & *hybrizo eis se*, in eo tota errat via, perinde ac vulgus Grammaticorum Ellipsin non animadvertentium. nam in *hybrizo se*, id est, *contumelia te afficio*, regularis est Syntaxis verbi activi cum accusativo materiali: in *hybrizo eis se*, id est, *sum in te contumeliosus*, figurata est Syntaxis, in qua formalis accusativus *hybrin*, per ellipsin reticetur, prorsus sicut in *Adulari alicui* contingere monui: quod Quinctilianus tantus magister, qua ratione dictum foret, minimè perspiciens, culpis annumerare, atque inter Latinitatis à Ciceronis ætate jam degenerantis exempla recensere ausus est. qua de re Paradoxon nostrorum quarta epistola plura qui volet invenerit.

Nobili & cultissimi ingenii Viro

FRANCISCO ELLIO

MARIANGELUS A FANO

BENEDICTI S. D.

V.

CUm sciam, quanta cum voluptate legere soleas, quæ ad politiores literas pertinent, quantumq; in omni humanitatis ratione judicio polleas, nullus mihi relinquitur dubitandi locus, quin

quin quæ Grosippus noster adversus Grammaticorum sententiam de *Verborum modis* nuper disputavit, ea sis avidè lecturus. Hoc amplius verò nonnihil te mihi debiturum arbitror, qui hujus tibi lucubrationis copiam obtulerim. Id spectata mihi humanitas tua spondet, quam natalium tuorum nobilitate dignam possides. Vale.

Modi Verborum Potentialis & Permissivus sunt supervacuum & inane Grammaticorum commentum.

NEgari, opinor, non debet, maximum *Emmanuëlis Alvari* fuisse benè de linguæ Latinæ studiosis merendi studium, magnum bonorum auctorum usum, minimè pœnitendam Latinè scribendi facultatem. Itaque cum laus ei multa debetur, tum gratia pro iis, quæ præstitit, haud mediocris. Simul tamen fatendum est, quod res ipsa clamat, non semel eum veterum Grammaticorum auctoritate auferri se passum, ut judicio, quo valebat tamen, in iis, quæ ineptè illi excogitarant, limandis uti supersederit. Ei rei documento sit vel *Potentialis* & *Permissivus* Verborum modus, quos sibi à Prisciano aliisque Grammaticis obtrudi passus est, iisque porrò tenera tironum ingenia fatigare nihil pensi habuit. Ipse quidem maximum ejus laboris sui pretium facere sibi visus est, & politissimi vir ingenii dictionisque cultissimæ, qui causam pro ejus Grammatica adversus Veronensem Pescettium dixit (qui quidem dum *Scholarum Collegii Romani Correctorem* se profitetur, eadem opera haud obscurè fert, *curvos* ibi, qui corrigi necesse habeant, minimè deesse) is ergo tantum non triumphum Alvaro decernit ob tam insignem

insignem Modis illis tradendis operam juventuti navatam. At nos Annotationibus in nominum & verborum Paradigmata satis planum videmur fecisse, nullos verborum modos esse, nisi qui Adverbiis exprimuntur; magnamque veterum ἀδιαφορίαν in usurpandis primorum & secundorum temporum verbis (quæ vulgo *Indicativi, Optativi & Subjunctivi modi* nuncupantur) usumque promiscuum fuisse: qua de re in *Minerva* nostra uberius disputavimus. Nunc hoc modo Lectori probatum velim, subineptè Potentialem significandi modum in iis fingi verbis, quibus hoc ex eventu nullaque necessitate aut insita vi, sed solo interpretantis arbitratu contingit, ut verbo *Posse* explicari queant. Verbi gratia: In hoc Terentii, *Bonus hic vir est. SI. hic vir sit bonus?* nulla prorsus est necessitas, cur verbum *sit* pro *esse potest* dictum accipiamus, cùm idem ipsum, quod semper alias, hoc quoque loco significet. Est enim per reticentiam concisè, sive ἐλλειπτικῶς dictum, pro *Ain ut hic sit vir bonus? Estne ut hic sit vir bonus?* sive *Itane res est, ut hic sit vir bonus?* quod quàm verè dicam, vel hinc judicari poterit. Cicero lib. 9. ad Attic. epist. 11. *De Domitio opinor esse ut in Cosano sit, & consilium ejus ignoretur.* Si dixisset, *Domitius in Cosano sit? Domitii consilium ignoretur?* quis jam dubitaret, quin integra oratio futura fuerit? *Estne ut Domitius in Cosano sit? Estne ut Domitii consilium ignoretur?* Plautus Pœnul. act. 5. sc. 2. *Si ita est, ut tu sis Iacchonis filius.* Itaque si dictum foret, *Tune ut sis Iacchonis filius?* nequaquam nobis interpretandum esset, *Tune potes esse Iacchonis filius?* sed potius, *Itane res est, ut tu sis Iacchonis filius?* Idem Men. act 4 sc. 2. *Mihi ut tu dederis pallam? numquam factum reperies.* pro Factumne est ita, ut mihi dederis? Idem Amphit. act. 1. sc. 1. *Factum est, ut ego illud vini ebiberim.* pro Ita factum est, ita res est, ut

ebiberim: nam *Factum* & *Res* indiſcriminatim pro eodem accipi, Grammaticæ pag. 148. demonſtratum videris. Idem Plautus Trinum. act. 2. ſc. 2. *Factum eſt ut illud perierit*, pro Ita factum, ſeu res eſt. Itaque fruſtra quis Potentialem modum in iſtis ſomniet, *Iſtudne perierit? Egone illud vini ebiberim?* Poſſe verò *Ain* quoque aut *Dicisne* in ejuſmodi ſubaudiri, multis locupletium auctorum locis docere queam: ſed paucis in ſpecimen contentus fuero. Terent. Hec. act. 1. ſc. 2. *Quid ais, cum virgine adoleſcens cubuerit plus potus, ſeſe illa abſtinere ut potuerit? non verum arbitror.* Plautus Moſtell. act. 1. ſc. 1. *Non verum loquere, ut quis abſens abſentem comeſſe poſſit.* Varro lib. 1. rei ruſt. cap. 2. *Verum dicit ut ille hoc ſcripſerit.* Hinc porrò planum fit, quid in iſtis ſubaudiri liceat, *Illene hoc ſcripſerit? Quiſquamne abſens abſentem comedere poſſit?* Similiter in illo Ciceronis, *Ego te Conſulem putem, cùm me non putes Senatorem?* ſuppreſſum putemus licet, *An dicis, an poſtulas, an faciam ut, eritne ut:* in quibus generibus Romanorum idiotiſmum eſſe ex Donato diſcimus. Is enim in Phorm. act. 2. ſc. 1. *Honeſtam locutionem eſſe monet, ſi eſt ut culpam in ſe admiſerit*, pro *ſi admiſit*. quale eſt Horatianum illud, *Non eſt ut copia major ab Jove donari poſſit tibi.* pro Non poteſt tibi donari. Et alterum ejuſdem, *Eſt ut viro vir latius ordinet arbuſta*, pro Viro vir latius ordinat. Subauditur enim *Res* & *Ita.* *Ut* enim ſemper eſt ſimilitudinis, adeoque *Ita* ei reſpondet: quod Grammat. pag. 44. & 86. monui. *Eſt* verò velut verbum finitum, Nominativum ſuppoſitum habeat neceſſe eſt. qua de re pag. 65. attigi. Ac ne quis perperam ſibi perſuadeat, nominativum *Vir*, eſſe verbi *Eſt* ſuppoſitum, habemus Terentii locum Phorm. act. 5. ſc. 7. *Si vis mihi uxorem dare, ducam: ſin eſt, ut velis manere illam apud te, dos hic maneat.* unde præterea diſcimus, eundem utrobi-

utrobique ſenſum eſſe, *Si vis*, & *Si eſt ut velis*, pro Si ita res vel negotium eſt ut velis. Cicero lib. 14. famil. epiſt. 9 *Ejuſmodi ſpero negotia eſſe, ut vos iſtic commodiſſimè ſitis.* pro quo dicere poterat, *Spero eſſe ut iſtic commodè ſitis.* Iterum Terent. Adelph. act. 3. ſc. 6. *Si eſt ut facturus ſit officium, faciat*, pro Si facturus eſt officium, ſi ejuſmodi negotium eſt, ſi res ita ſe habet, ut ſit facturus officium. Et Hecyr. act. 4. ſc. 1. *Roga, velitne uxorem, an non: ſi eſt ut dicat velle ſe, redde; ſin eſt autem ut nolit, rectè ego conſului meæ.* Et mox ſc. 4. *Sin eſt ut aliter tua ſit ſententia, accipias puerum.* Et mox, *Manere affinitatem hanc inter nos volo, ſi ullo modo eſt ut poſſit.* Et act. 5. ſc. 2. *Si eſt ut hac Pamphilum verè ab ſe ſegregarit.* Maſſurius Sabinus apud Agell. 4. cap. 20. *Cur ita eſt, ut tu ſis, quàm equus, curatior?* Ubi *Res* ſubaudiri nemo eſt quin perſpiciat. In hoc ergo Quinctiliani, *Frangas citius, quàm corrigas, quæ in pravum induruerunt*, ſubaudimus, *Ita res eſt, ut*: *Ejuſmodi negotium eſt, ut.* Et in hoc Virgilii, *Unus homo tantas ſtrages impunè per urbem Ediderit?* ſubaudimus, *Eritne ut, Itane res erit ut.* quomodo apud Terent. Adelph. act. 2. ſc. 1. *Uſque ad necem operiere loris. S A. loris liber? A. ſic erit.* ut ſcilicet operiare. In ejuſdem quidem Heauton. act. 5. ſc. 2. orationem hanc penè integram hoc modo legimus, *Itane tandem quaſo eſt Menedeme, ut pater tam in brevi ſpatio omnem de me ejecerit animum patris?* Sic pleroſque omnes libros veteres habere Faernus teſtatur, nec niſi ſola vox *Res* deeſt, ut omni ex parte ſit regularis conſtructio, quæ per figuram ſic efferri potuit, *Pater ergo omnem de me animum patris ejecerit?* Et ſcæna, quæ proximè ſequitur, orationem hoc modo conciſam legimus, *Subditum ſe ſuſpicatur. C H. Subditum, ain tu? S O. certè ſic erit.* pro Ain tu ut ſe ſuſpicetur ſubditum? Sic erit res ut ſe ſuſpicetur ſubditum? Apud Lucretium

lib.2. legimus, *Non est ut credere possis.* pro quo alius diceret, Non possis credere: verbo *Est*, suppresso simul cum ejus supposito, quod dixi esse *Res* vel *Negotium*. Itaque si quis dicat, *Non facilè credas, quàm hoc sit factu difficile*, nihil attinet ad Potentialem modum confugere, & *Credas* per *Credere potes* interpretari, cùm Lucretius nos doceat, plenam orationem esse, *Non est ut facilè credas.* Etiam in Permissivo seu Concessivo *Alvari* modo verbi *Esse* imperativus, sive futurum tertium *Esto* subauditur, ut Permissio omnis ab eo, quod subticetur, pendeat, non ab eo, quod exprimitur. Cicero, *Hæc si vobis non probamus, sint falsa sanè: invidiosa sanè non sunt.* pro, Esto ut sint falsa, Licet ut sint falsa. Terent. *Profundat, perdat, pereat: nihil ad me attinet.* pro Licet ut profundat, Esto ut profundat: sicut Juvenal. *Nil fecerit esto.* pro Ita res esto, ac nihil fecerit. Ita in hoc Ciceronis, *Trahantur per me pedibus omnes rei: non laboro*, subaudiamus licet *Esto ut*, vel *Licet ut.* quomodo Plaut. Rud. *Mea quidem causa salvus sis licet.* Et ipse Cicero, *Per me vel stertas licet.* Eadem ratio est in hoc Ciceronis, *Malus civis C. Carbo fuit. Fuerit aliis: tibi quando esse cœpit?* pro Esto ut fuerit, Licet fuerit. sicut idem de Finib. 2. *Esto fecerit, si ita vis, Torquatus propter suas utilitates.* pro Ita esto ut fecerit. Et in hoc Virgilii, *Verum anceps pugnæ fuerat fortuna, fuisset.* pro Esto ut fuisset, Licet fuisset. Neque dispar est ratio in isto Cic. *Age, restitero Peripateticis, sustinuero Epicureos: Diodoro quid faciam Stoico?* valet enim, Esto ut restitero, Licet restitero seu restiterim. Priscè enim Amaverim & Amavero, Faxim & Faxo, Capsim & Capso, Dederim & Dedero, Aufugerim & Aufugero, Dixerim & Dixero, omniaque id genus alia promiscuè tam de futuro, quàm de præterito dicebant: quod eos præcipuè, qui in Plauto hospites non sunt, præterire non potest.

test. Itaque frustra est Alvarus cùm Potentiali modo adscribit Plinianum illud, *Nec facilè dixerim, qua ætate cœperit.* Itemque hoc Tullianum, *Pomeridianas libentius dixerim, quàm post meridianas.* Est enim futurum secundum pro primo positum, id est, *Dixerim* pro *Dicam:* quomodo Plautus *Emissim* sive Emerim vel Emero, & *Emam* indifferenter usurpat. Casin. act. 2. sc. 2. *Non ego istuc verbum emissim titivilitio.* Pœnul. act. 1. sc. 2. *Cujus ego septem noctes nebulæ cyatho non emam.* In aliis porrò exemplis, quæ potentiali modo Alvarus asserit, *si velim* aut *velit, si libeat, si placeat, si velles, si necesse sit, si res ferat,* aut aliud quippiam ejusmodi suppressum esse intelligitur. Virgil. *Nec si cuncta velint breviter decurrere possim.* pro quo per concisionem sive imminutionem alius diceret, Non possim cuncta brevi oratione percurrere. Plaut. Pseud. *Homines qui gestant crimina, si meo arbitratu liceat, omnes pendeant.* pro quo dici poterat, Pendeant omnes qui gestant crimina. Idem Asin. *Nauteam bibere malim, si necessum est, quàm illam osculari.* Virgil. *Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.* Subauditur, *Si liceat.* Sallust. *Sed confecto prælio, tum verò cerneres quanta audacia fuisset in exercitu Catilinæ.* Subaudimus, Si videres, si velles. Cicero, *Voconia lex videlicet te delectabat. Imitatus esses illum ipsum Voconium.* Subauditur, *Si te lex illa delectabat.* Ita nihil attinet, ut vel *Potuisses* vel *Debuisses imitari*, interpretemur. In hoc Virgil. *Et ni mea cura resistat, Jam flammæ tulerint, inimicus & hauserit ensis,* subaudire possumus, *Esset ut, Foret ut.* similiterque in isto Livii, *Tum verò nequicquam Capitolium servaverim, si civem meum in servitutem duci videam.* In Virgiliano illo, *Quid facerem,* suppressum intelligimus *Vis ut, Censes ut*, vel, *Si rectè facere volebam.* In Terentiano autem, *Diceret, quid feci, quid peccavi?* planum satis est subaudiendum esse, *Si eum objurgarem:* adeoque

 intem-

intempeſtivum eſt interpretari *Diceret* per *Poſſet dicere.* Iſta quippe ſenex filium, ſi objurgatus eſſet, non dicere poſſe, ſed certe dicturum fuiſſe ſentit. Cæterum quod de *Capſim* & *Capſo* dixi, in memoriam me revocat ejus, quod perperam cenſuit Cicero, in *Capſis* tres eſſe voces, quaſi factum ſit ex *Cape ſi vis.* quid ergo faciet Tullius de *Capſo*, *Capſis*, *Capſimus*, quæ Plautus habet? Si alicubi legit Cicero *Cap ſis*, non fuit illud ſimile imperativis *Dic ſis*, *Fac ſis*, *Duc ſis* (nam *Cap* per apocópen pro *Cape* non dicitur) ſed fuit ſecunda perſona à *Capſim* vel *Capſo*, quo priſci utebantur pro Ceperim, & Cepero, & ſubaudiebatur *Fac* de quo in Grammat. pag. 37. monui. Cæterum *Cape ſis* in Plauto legimus Aſin. act. 3. ſc. 3. *Cape hóc ſis, Libane.* Et Rud. act. 2. ſc. 5. *Cape aquam hanc ſis.* Et Merc. act. 5. ſc. 2. *Cape ſis puer hoc pallium.* Et Trin. act. 3. ſc. 2. *Cape ſis virtutem animo.*

LEONARDO PAPPO JC.

& Canonico Conſtantienſi

MARIANGELUS A FANO

BENEDICTI S. P. D.

VI.

ETſi te veterem Groſſippi noſtri contubernalem & interioris notæ amicum minimè præterire poteſt, quæ illius de Lexicis, ſive Vocabulariis, aut Theſauris linguæ Latinæ, eórumque forma & uſu ſit ſententia: minimè tamen ingratum tibi facturum me confido, ſi tibi perſcribam, quæ in familiari ſermone eadem de re non ſemel differentem audivi. Ejuſmodi ergo vocabulorum Latinorum Indices tum demum numeris omnibus abſo-

abſolutos & quantavis prædicatione dignos fore cenſet, ſi *Magiſtri*, non *Miniſtri* tantùm operam lectoribus ſuis navent, pariterque *Judicium* informent & *Inventionem* adjuvent, ut nimirum cum de verbis ſingulis ac conjunctis exploratè judicari queat, quæ vera ſingulorum vis ſit ac ſignificatio, quoſque illa auctores habeant, tum ut quacunque de re ſcripturus, ea minimè laborioſè reperire poſſit quæ animi ſenſa explanent, ſive numquam illa ſciverit, ſive lecta quidem vel audita in memoria non habeat. *Judicium* porrò tribus rebus dirigitur, Ratione, Obſervatione & Interpretatione. *Ratio* vel ad Etymologiam vel ad Syntaxin pertinet. *Etymologica ratio* poſtulat ut doceatur, ad quam orationis partem quæque vox pertineat, hoc eſt, Nomenne ſit an Verbum, an particularum aliqua, Præpoſitio puta, Adverbium, Conjunctio & Interjectio: tum quæ nominis ſpecies, adjectivumne an ſubſtantivum, & adjectivumne natura an uſu: adhæc primitivane ſit, ſeu primæ impoſitionis, an aliunde flexa ſeu derivata: præterea quæ propria ejus ſit ſignificatio, quæ Tropica ſeu figurata. Verè enim unica tantùm eſt vocabuli cujuſque propria ſignificatio, reliquæ omnes Tropum continent ob rerum inter ſe ſignificatarum affectionem aliquam: quia ſcilicet altera alterius vel cauſa eſt, vel effectum; vel ſubjectum, vel adjunctum; vel totum, vel pars; vel antecedens, vel conſequens, vel connexum; vel ſignum, vel ſignatum; vel conjugatum; vel conſentaneum aut ſimile, vel diſſentaneum aut oppoſitum. tandem ſimplicibus ſubjici debent compoſita, & derivata primigeniis, quod ea res magnum ad intelligendum ſingulorum vim ac poteſtatem momentum faciat. *Syntaxeos ratio* in iis, quæ Concordiæ aut Rectionis ſunt, occupatur: non tamen ut Grammaticæ partes invadat, ſed ut admoneat Lectorem,

ctorem, ſicubi obſcurum eſt, ſecundumne regulas conſtructionis, an per figuram aliquid dicatur. Verbi gratia: *Primum*, adverbialiter poſitum per ellipſin præpoſitionis & nominis ſubſtantivi, pro *Ad primum tempus* aut *locum*. *Primo*, adverbialiter poſitum per ellipſin præpoſitionis & nominis ſubſtantivi, pro *In primo*, *A primo loco*, aut *tempore*, aut *pretio*, aut *numero*, aut *pedatu*. *Latere aliquem*, Græca figura, pro *alicui*. *Reginus* adjectivum; ſicut Regius, cujus ſolum fœmininum in uſu manſit *Regina*, in quo ſubauditur vel *uxor* vel *filia*. *Patria*, nomen natura adjectivum, cum quo ſubauditur *Terra*; ſed uſu ſubſtantivum: ut *Livius*, *Neapolis mihi materna patria eſt*. *Mille hominum*, pro *Mille homines* per ellipſin vocis *Rem* aut *Negotium*: ſicut *Plus centum annorum eſt*, *& decem talentorum mihi reliquit*.

Obſervationis eſt, ea ex melioris notæ auctoribus referre, quæ partim bene loquentium conſuetudini ſunt conſentanea, partim honeſta, & lecta atque à plebe ſemota: ut ſcilicet illa orationis vitia caveri poſſint, quæ Groſippus noſter in Propædia ſua Rhetorica *Inſolentia* & *Adiaphoria* ſubjicit, Archaiſmus puta, Neoteriſmus, Idiotiſmus ſeu Peregrinitas & vilitas vel Plebitas: etſi notitiæ ſaltem cauſa illa quoque in Lexico obſervari convenit, quæ vel priſcè, vel novè ac ſingulariter, vel peregrinè præcipuéque Græcanicè, vel denique pro plebis Romanæ conſuetudine alicubi dicta inveniuntur, dum tamen vitii nota ſingulis appingatur, ne, quid tutò uſurpet, Lector ignorare poſſit. Hoc autem vix præſtiterit, niſi qui ſingulorum penè vocabulorum loquendique generum Indices ex unoquoque aureæ & argenteæ ætatis ſcriptore confectos habet; ut nihil prorſus eum queat effugere: aliter enim judicium Lectoris dubium ſemper & fluctuans relinquet. Verbi gratia: Si judicare velis, ſatiſne Latinè

dictum

dictum sit, *Daturum me tibi promitto cum eo, ut mox mihi reddas*, consultus linguæ Latinæ Thesaurus anno 1573. Lugduni editus, qui longè cæteris Indicibus præstat, docebit te, *Cum eo*, pro *Ea lege* apud Columellam & Cornelium Celsum legi: sed neque qua id ratione dictum sit, expedit, neque ullum ejus auctorem aureæ ætatis laudat. Ut ergo exploratò judicare de hoc loquendi genere possis, Lexicographi partes erunt, hoc modo commentari,

Cum eo, per ellipsin dicitur, pro *Cum eo modo* seu *pacto*, *Cum hac lege & conditione*. Cic. 6. ad Attic. 1. *Mihi non excidit illud, quod tu ad me scripsisses, si nihil aliud de hac provincia, nisi Bruti benevolentiam deportassem, mihi id satis esse. Sit sanè, quoniam ita tu vis: sed tamen cum eo (credo) quod sine peccato meo fiat.* Livius lib. 8. 14. *Laviniis civitas data, sacraque sua reddita cum eo, ut ædes Junonis communis Lavinii cum Populo Romano esset.* Et mox, *Antium nova colonia missa cum eo, ut Antiatibus permitteretur, si & ipsi adscribi coloni vellent.*

Similiter si scire certum velis, *Instar* pro Ferè, Quasi, Circiter probéne dictum sit, nec observatione ulla, nec ratione judicium tuum vulgata Lexica moderabuntur: quod faciet, si sic scribat Lexicographus,

Instar, nomen substantivum, nominativo & accusativo casu modo inventum, significat *speciem*, *similitudinem*, *modum* seu *quantitatem*. Sueton. Julio cap. 61. *Equi sui instar pro æde Veneris dedicavit*, id est, statuam, effigiem. Ulpianus leg. 22. Dig. de operis novi nunciatione, *Si proponatur instar quoddam & quasi facies quædam operis*, id est, Species, ut quale opus futurum sit, quodammodò appareat. Cæsar 3. belli civil. *Animadversum est, cohortes quasdam, quod instar legionis videretur, esse post sylvam*, id est, Ad numerum simile legioni. Hirtius bello Alex. *Cæsar cohortium trium instar in terram exposuerat.*

 Livius

Livius lib.28. 17. *Scipio receptas Hispanias parvum instar eorum ducebat, quæ spe ac magnitudine animi concepisset.* Cicero 10. ad Attic. *Epistola, quæ voluminis instar erat.* Idem 2. Offic. *Qui clientes se appellari, mortis instar putant.* Idem 5. Verrin. *Navis ita magna, ut urbis instar habere inter piraticos myoparones videretur*, id est, speciem. Idem Orat. *Hæc magna sunt, & tamquam animi instar in corpore*, id est, similitudo. Idem 4. Tuscul. *Terra ad universi cæli complexum puncti instar obtinet.* Virg. 6. Æneid. *Qui circum strepitus comitum, quantum instar in ipso est?* id est, quanta species & magni viri indoles ac similitudo? Idem 2. Æneid. *Instar montis equum divina Palladis arte Ædificant:* ubi ellipsis est, pro *Equum entem instar montis*, sive qui est instar montis. Aut deest Præpositio *Ad*, quam teste Servio Septimius Serenus celebris Poëta Lyricus expressit, ejusque exemplo Apulejus & Imperatores in Codice Justin. sæpius, ut *Ad instar montis equus*, sit velut *Ad modum*, seu similitudinem aut magnitudinem montis. Hinc ad exprimendum numerum, promiscuè *Ad modum* & *Ad instar*, aut per ellipsin *Instar* usui esse solet. Livius, *Sex millia hostium cæsa, quinque ad modum Romanorum*, id est, quasi, ferè, circiter. Idem, *Mille ad modum vehicula capta. Exacto ad modum mense Februario.* Cic. 16. ad Attic. epist. 5. *Mearum epistolarum nulla est synagoge* seu collectio. *Sed habet Tiro instar septuaginta*, subaudi Epistolarum. Varro 1. rei rust. 1. *Adjecit non pauca, & de Magonis demsit instar librorum octo.* Columel. 2. cap. 5. *Acervi stercoris instar quinque modiorum disponentur.* Catul. *Murtola habet instar triginta jugera prati*, pro Habet jugera prati ad instar, sive ad modum triginta jugerum. Sic habent omnes codices manu formisque descripti. Sola Plantini & Raphelengii editio stolidam & à Latini sermonis ratione alienissimam Josephi Burdoscali-

geri

geri conjecturam in contextum recepit, extrita vera scriptura: qua de re videatur Scioppii Scaliger Hypobolimæus, pag. 210.

Interpretationis denique est, explanare auctorum loca quæ recitantur, ut Lexicon sit commentarii vice, nec eos qui Latinè volunt scribere, verbis Latinis barbarè uti patiatur. Verbi gratia, *Fidem adhibere*, in Plauti Rudenti legitur: quod Lexicographus interpretari debet, idem scilicet significare quod Uti fide, ad negotium aliquod fidem afferre in eoque cum fide versari, sicut *Adhibere diligentiam.* nam nisi sic explicaverit, faciet Lector, quod Ausonius, Manutius, multique alii primores in literis viri fecerunt, ut dicat *Adhibere fidem*, pro Credere alicui: quod minimè Latinum esse Grosippus Paradox. pag. 43 & in Propædiæ Rhetoricæ fragmento nuper edito monuit. quod enim apud Ulpianum invenitur leg. 1. Dig. de quæstion. aut mendosum, aut à Triboniano profectum videtur, sicut & *Juramentum* vox barbara: etsi nec Ulpiani ætas ea est, quæ Latini sermonis corruptela vacet. Ita *Projicere ampullas* apud Horatium, monebit Lexicographus esse idem, quod Missas facere, valere jubere, abjicere, abstinere, non uti: quæ verbi *Projicere* significatio in Plauto, Cicerone, Catullo & Seneca observari potest. Aliter minimè Latinè & ridiculè de tumidi & gloriosi sermonis homine Horatii versu Lector utetur, *Projicit ampullas & sesquipedalia verba*: quemadmodum Casaubono usuvenit, cujus in Comment. Athenæi pag. 186. verba sunt, *Nunquam Comicus Græcus Tragicorum Poëtarum verba sesquipedalia subsannat, quin ampullas projiciat.* Ita *Salillum animæ* apud Plautum, nisi quis in Lexico rectè interpretatum viderit, ridiculè pro Corpore accipiet, quasi Corpus sit salinum, Anima vero sal. At enim *Salillum animæ amittere*, non est *Amittere corpus*

corpus (quod Ciceroni & Lucretio ſignificat Maceſcere ſeu macilentum fieri: cui contrarium *Corpus facere*, apud Phædrum fabulatorem, pro Pingueſcere ſive Habitiorem fieri) ſed Amittere animam, ſeu mori. Ex quo perſpicuum evadit, *Salillum animæ* dictum pro Anima, quæ eſt Salillus, ſive ſal corpori datus ut ne putiſcat: ſicut *Præmia palmæ* Virgilio, pro Palma quæ eſt præmium: *Arbores abietis* Livio, pro Abietes quæ ſunt arbores: *Medorum hoſtes* Propertio, pro Hoſtes Medi. quorum ſimilia Groſippus Gram. pag. 128. annotavit. Ratio porrò hujus veræ interpretationis ex antiquitatis pendet notitia. Ex Græco nimirum ἅλς Latini formarunt *Salis*, quoniam nec conſonantes continuabant (ut in *Plebes*, *Faces*, *Ancipes*, *Præcipes*, & ſimilibus apparet) & adſpirationis notam ſibilo commutabant, ut ἕξ *ſex*, ἑπτὰ *ſeptem*, ὗς *ſus* &c. A priſco ergo *Salis* derivatur *Salillus*, ſicut à *Lapis Lapillus*, ab *Anguis Anguilla*. Jam ergo Proluſionum Academicarum ſcriptori periit ſal ſuus, quem in illudendo Cantabro illo viri fruſtulo conſumſerat, adeoque per hunc ſalem inſulſus victitare poteſt. Neque tamen *Salillum* Groſippus propterea negat à *Salino* rectè deduci; qua voce Plautus etiam in Perſa utitur, *Qui ſervo ſalinum obſignant cum ſale*, pro Salinum vas, in quo eſt ſal, non inane. ſicut Curcul. *Sinus cum vino*, pro Sinus in quo eſt vinum. Ex quo judicari poteſt, quàm nullo judicio Plauti locum Germani editores non præter ſolitum nuper corruperint, cùm invitis libris ſcriptis ediderunt, *Servo allium obſignant cum ſale*: omnino autem facilem reddit interpretationem Etymologiæ ratio, de qua ſuprà attigi, ſi primitiva an derivata vox ſit conſideretur, quidque propriè ac per Tropum aliquem ſignificet. Verbi gratia: *Lego* primitiva vox eſt, à qua derivatur *Diligo*, cujus propria ſignificatio

tio est, *Hinc inde lego & ab aliis discerno*: quod facit qui cùm magna pomorum congeries humi jaceat, non legit seu colligit omnia, sed grandiora modò eximit, quæ auferat. Et quoniam ex multis pauci eligendi sunt, quos quis amet, hinc factum ut *Diligere* pro *Amare* usurparetur per metonymiam Antecedentis. Atque hinc Cicero *Amare* plus esse monet, quàm *Diligere*, quod in Diligendo sit amoris principium. *Dilectus* ergo *militum* (quomodo Festus scribendum docet) propriè dicitur; per Tropum verò significat eum, qui amatur. unde & *Dilectio* (qua tamen voce nemo Latinus utitur) quæ posterioribus Tacito & Symmacho est *Diligentia*: quæ vox Ciceroni idem quoque quod Electionem vel Dilectum significat. Pro Plancio, *Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.* Cicero *Dilectum & Discrimen* conjunctim solet dicere, ut sensu vix quicquam differre significet. *Diligens*, propriè est Eligens seu Deligens: per Tropum usurpatur non modò pro *Amante*, ut dictum est, sed etiam pro *Studioso*, *Sedulo*, *Attento*; cui contrarium *Segnis*, cùm Studium & Attentio sit adjunctum Electionis. Postea significat quoque *Parcum*, id est, attentum ad rem familiarem: quæ jam est Synecdoche partis. Accuratio enim & Sedulitas quævis est Totum, cujûs species est Parcimonia, id est, sedulitas in re familiari. Horum exempla ex Cicerone & aliis afferre, longum sit. Hinc *Diligenter* pro Studiosè & Accuratè per Tropum dicitur, cùm propria ejus significatio sit, Cum dilecto & discrimine. Atque ita expedita erit interpretatio Ciceroniani hujus, *Diligenter Latinè loqui*. In Bruto, *De Tito Flaminino nihil accepi, nisi Latinè diligenter locutum*, hoc est, Usum verbis lectis, Solitum ex variis ejusdem potestatis vocabulis ea eligere, quæ honesto & nobili viro digniora viderentur; plebeia verò & for-

ſordida miſſa facere. Et infrà ibidem, *Verba ipſa, non illa quidem elegantiſſimo ſermone. Itaque diligenter Latinè loquendi laude caruit: neque tamen eſt admodum inquinatè locutus.* Hic Diligenter loquitur, qui non loquitur Inquinatè, id eſt, qui abſtinet ſordidis ac humilibus. Seneca 2. de Ira 12. *Quicquid voles ſcire, quale ſit, tempori trade. nihil diligenter in fluctu cernitur, nunquam liquidum ſincerumque ex turbido venit.* Sic Varro de ling. Lat. 5. *His magis promiſcuè, quàm diligenter conſuetudo eſt uſa.* Ubi Diligenter & Promiſcuè ſive Indifferenter aut Indiſcriminatim videmus contrario inter ſe nomine opponi, ut Diligenter valeat Diſtinctè, non Confusè, ut aliud ab alio diſcernatur.

Reliquum eſt, ut quæ *Inventionis adjumenta* à Lexicis præſtari debeant, conſideremus. Alia nimirum ſermoni neceſſaria ſunt, alia dictioni. *Sermo* alius abſolutè ac ſimpliciter Hominis eſt, alius Hominis ingenui ſive honeſti aut nobilis, ſicut *Dictio* eſt hominis Diſerti ſive Oratoris aut Poëtæ. *Homini* ad explicanda animi ſenſa verbis propriis uſus eſt, quæ tamen nec *obſoleta* ſint, nec *nova*, nec *peregrina*. *Honeſti* verò hominis oratio debet eſſe Diligens, aut Elegans, hoc eſt, in qua verborum ſit Dilectus, ne plebeiis & ſordidis inquinetur. Diſerti hominis dictionem cultus & copia commendant, ſi nimirum Tropis, figuris & amplificationibus ornetur, eademque res aliis atque aliis verbis ſubinde efferatur. Itaque ſic demum Lexicographus ſuo functus fuerit officio, ſi quicquid vel ſermoni, vel dictioni uſus erit, ſcripturo ſuppeditet. Ejus verò rei tres modos invenit Groſippus. Unus eſt ipſarum rerum in certas claſſes deſcriptio, quæ ſuis appellationibus inſigniantur, iiſque tam verbis, quàm nominibus: quod nemo rectius & felicius præſtiterit clariſſimo & humanarum rerum

noſtra

nostra ætate non dico cum primis, sed quod Grosippus censet, unicè docto *Iohanne Baptista Donio Florentino*, qui *Hermathenæ* suæ in viginti libros distributæ instar ac προπλασμα Grosippo nuper misit. quod quidem opus si summi Pontificis & Francisci Cardinalis Barberini auspicio ac munificentia extremam aliquando manum recipiat, politiores literas in perpetuum stabilitas, nullumque post hac à barbarie periculum fore auguror: multoque ea res Barberiniano nomini erit amplior ac gloriosior, quàm quicquid est in orbe toto Pyramidum aut quarumcumque insanissimarum substructionum moles.

Alter *Inventionis adjuvandæ* modus est verborum cum singulorum tum conjunctorum Isodynamia, sive ut vulgo loquuntur Æquivalentia, cùm videlicet maximè notis in promptuque positis ea subjiciuntur, quæ aut eandem, aut saltem finitimam significandi vim habent, ut eorum usu orationem sive ornare, sive variare possis. Verbi gratia, in serie verborum à litera *M* incipientium, ad vocem *Mutabilis*, similiterque alio loco ad nomen *Inconstans*, annotari cum alia, tum ista poterunt, quæ auctorum lectio suppeditaverit: *Mobilis. Volaticus. Desultorius. Ventosus. Instabilis. Volubilis. Volucer. Vagus. Levis. Commutabilis. Varius. Multiplex. Flexibilis. Incertus. Ad omnem auram spei mobilis atque infidus. A se ipse dissentiens. Instar veli utcumque in alio ventus est, ex inde vertitur. Pluma aut folio facilius movetur. Magna ejus est varietas voluntatis & dissimilitudo opinionis ac judicii. Crebrò nimis stylum vertit, & frequens in decretis ejus litura est, aliudque stans, aliud sedens sentit.* Horum verò usum si quis exploratius cognoscere avebit, de singulis priorem Lexici partem, id est, *Commentarium* consulet, ubi ipsa auctorum verba observata & explanata inveniet.

Hæc

Hæc enim poſterior pars vicem *Promptuarii* ſeu penuariæ cellæ præſtat, unde quis ad ornandi vel variandi uſum neceſſaria queat depromere. Extant quidem Manutii Elegantiæ, Hadriani Cardinalis, Antonii Schori, Oberti Giſanii, multorúmque aliorum Phraſiologiæ, quæ tamen plus ferè Judicio, quàm Inventioni ſubſerviunt, nec niſi minimam eorum, quæ afferri ex auctoribus poterant, partem repræſentant. Neceſſe autem habet, qui hac provincia rectè defungi volet, ea quæ in auctoribus minimè vulgariter dicta offenderit, in omnem partem verſare, quibuſque ea modis variari poſſint, periculum facere, ut ſub pluribus capitibus eorum inveniendi facultas ſcripturo ſuppetat. Verbi gratia: In Cicerone lego, *Tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab inſania.* Conſiderans verborum vim, invenio ſententiam eorum eſſe, *Temeritas ſimilis*, aut *non diſſimilis inſaniæ.* quomodo & Catullus de Suffeno, *Tantum abhorret ac mutat*, pro Tam eſt ſui ipſius diſſimilis. In Promptuario ergo ſcribo, *Similis. Non procul abhorret ab inſania.* Item, *Diſſimilis. Non procul abhorret ab inſania.* Pari modo legens in Cicerone, *Hæc etſi ficta; tamen non abſunt à conſuetudine ſomniorum*, expenſa ſermonis elegentia comperio vulgari modo dici poſſe, *Non eſt novum*, aut *inuſitatum talia ſomniari*, aut *Solent talia ſomniari* Itaque in Promptuario verbis *Solet, Novum, Inuſitatum*, adſcribo genus hoc loquendi, *Hæc non abſunt à conſuetudine ſomniorum.* Ad verbum quoque *Solet*, Plautinum illud & Ciceronianum appingo, *Conſuetudine aliquid facere.* Hoc quippe eſt *Solere facere.* Ita cùm in Seneca lego, *Obſeſſa ſetis cervix*, interpretor ſignificari *Piloſum* vel *Hirſutum*; adeoque ſub iiſdem verbis in Promptuarium refero illud Senecæ: in quo etiam legens iſta, *Aliud ex alio placet vexatque nos. petita relinquimus, relicta repetimus*:

timus: alternæ inter cupiditatem nostram & pœnitentiam vices sunt, intelligo vulgari modo dici potuisse, *Modò hoc, modò illud placet. Modò cupimus, modò nos pœnitet. Interdum hoc, interdum illud. Aliàs hoc, aliàs illud.* Ut ergo hujus generis elegantia Lector orationem illustrare aut variare possit, sub diversis Promptuarii capitibus ac velut Inventionis locis ea illi repræsento.

Postremus *adjuvandæ Inventionis* modus est *Appositio*, cum adjunctorum, (cujus generis sunt adjectiva nomina) tum adverbiorum; quorum utroque orationem amplificari, plenioremque & velut succosiorem reddi, ex Rhetoricis satis notum est: tamquam si dicas, *Homo omnium animalium divinissimus, Ille belli fulmen & Carthaginis horror Scipio, Æneia nutrix Cajeta, Amicus firmus & fidelis. Amare aliquem plurimum, maximè, mirificè, præcipuè, valde, miserè, perditè, afflictim. Cupere aliquid ardenter, summè, valde, vehementer, miserè, nimis, impensè, haud medicè.* Etsi autem ista Apposita Inventioni subserviunt, rectius tamen in Commentario suis vel verbis, vel nominibus suppinguntur, velut in Nizoliano Ciceronis Indice factum video.

Atque ista sunt, quæ Lexicographum facere oportere Grosippus censet, si omnes officii numeros implere, meritoque suo puncta doctorum auferre velit. *Ambrosius* Comitis de Calepio vel *Calepini* in agro Bergomati filius, familiæ Augustinianæ monachus in suo Lexico, quod ætas illa nondum satis literis exculta ferebat, præstitit, adeoque venia, quàm laude ulla est dignior. Etsi autem homini literato Grosippus erubescendum ducit, Calepiniani Indicis mentionem facere (quo nomine non nemo de Romanis literatoribus ei succensere fertur) longè tamen ille abest, ut tam inclementer Calepino dicat, quàm ab eruditissimo homine *Francisco*

Florido factum eſt, cujus in Apologia pro Poëtis Latinis verba ſunt, *Quàm laudari Nicolaus Perottus, tam reprehendi jure optimo poteſt Ambroſius Calepinus monachus cum ſuo illo inſulſo fœtidoque Dictionario, quem ex Perotti ſudoribus ſervato literarum ordine ita diſpoſuit, ut à ſe ne gry quidem in eo protulerit, ut optimè illis conſuli poſſe nemo ambigat, ſi fæx illa publico edicto ſupprimatur: quamvis Perotti auctoritatem auxerit potius, quàm imminuerit. Illius enim nomini multa in reddenda verborum ratione ab eruditis deferuntur, cùm Calepino vix credant, quod veterum auctorum exemplis comprobarit: ac ille denique honoris, hic ludibrii cauſa in doctorum cœtibus nominari ſoleat.* At enim Calepinus hodie in omnium verſatur manibus, magno doctiſſimorum hominum certamine auctior & melior, cum eruditi ac diſerti illius Perotti *Cornucopiæ*, in vicum vendentem thus & odores deferri, ibique piper amicire & tunicas ſcombris præbere ſoleat, non ob aliam ſanè cauſam, niſi quod minore multo negotio, quæ quiſque velit, in Calepino invenire poteſt. Veruntamen quod plurima in eo deſiderabantur, animus fuit additus *Roberto Stephano Pariſienſi* typographo, ut decem diverſarum nationum hominibus, quos tamquam Græcè ac Latinè intelligentes domi ſuæ alebat, verba omnia loquendique genera ex Latinis auctoribus excerpendi provinciam delegaret: unde natus *Theſaurus* ejus tribus voluminibus diſtinctus, quem poſtea *Cælius Curio* Fori Romani, *Theodoſius Trebellius* Promptuarii nomine inſcriptum Baſileæ edidere, nulla *Stephani* mentione. Bibliopola tandem Lugdunenſis magna eorum acceſſione, quæ Turnebi, Lambini, aliorumque Philologorum libri ſuppeditarant, auctiorem & emendatiorem Lugduni produxit anno 1573. quem in compendium poſt anno 1613. redegit *Ludovicus Lucius*, & *Theſaurum* ſive *Ærarium* lin-

linguæ Latinæ inſcripſit. In iſtis tamen omnibus plurima ſunt, quæ merito cum inſcitiæ, tum ſupinæ cujuſdam oſcitantiæ ac negligentiæ accuſes. Primum enim nihil dici potuit ſtolidius & imperitius, quàm quod in Judicio de Latinis ſcriptoribus inter *inelegantes & imperfectos* Plautum, Terentium & Lucretium recenſent, inter *perfectos* autem *& elegantiſſimos* Varronem & Salluſtium, inter *poſtremos* denique *& deficientes* Valerium Maximum, Senecam & Curtium, velut Apuleji æquales. Deinde Etymologiæ ratione ſæpenumero lectoris fallunt judicium, cùm Adjectiva nomina habeant pro Subſtantivis, Adverbiiſque accenſeant quæ ſunt Nomina: ut mittam quod primitivis derivata non attexunt, nec ſimplicibus compoſita, in quo tamen maximum eſt momentum ad vim ſingulorum rectius intelligendam. Itaque errorem iſtum corrigere conatus eſt in ſuo *Eruditionis Scholaſticæ Theſauro* *Baſilius Faber*, etſi non ſemel eum ratio in eo fugit, ut quæ ex quibus derivata eſſent, minimè perſpiceret: quod genus eſt, *Demo* & *Sumo*, quæ pro primitivis habet, cùm ſint profecta ab *Emo*, quod monente Feſto priſcis ſignificabat *Accipio*. Adhæc magnam Obſervatio iſtorum mendam continet, cùm & nonnulla afferant, quæ minimè Latina ſunt, nec in ullo ſatis idoneo ſcriptore extant, & plurima rurſus vocabula reticeant, quæ ſuos tamen auctores habent; cujus rei ſpecimen in *Roberti Conſtantini Supplemento linguæ Latinæ* Lugduni, & in *Baſilii Zanchii Epitome* Baſileæ edita videre licet. quod minus difficulter credet, qui jam inde ab anno 1573. aliquos auctores veteres eo tempore ignoratos, alios infinitis partibus auctiores & emendatiores ex variis Bibliothecis erutos fuiſſe ſciat, tamquam Phœdri fabulas, Hygini Mythica & Aſtronomica, Quinctiliani patris Declamationes, Senecæ rhetoris

ris Oratoria, Servium Petri Danielis, Varronem Scioppii, Festum Scaligeri & Fulvii Ursini, Nonium Merceri, Auctores finium regundorum Rigaltii, Inscriptiones Gruteri, Glossaria Philoxeni, Placidi, Isidori & aliorum. Sed generum loquendi sive phrasium, quæ in Plauto, Terentio, Lucretio, Cicerone, Cæsare, Nepote, Livio, aliisque aureæ & argenteæ ætatis scriptoribus extant, multo maximam partem auctores illi intactam reliquerunt: eoque fit ut nemo jam tutò de Latinitate judicare possit, cùm merito verendum sit, ne quod isti Thesauri non exhibent, diligens lector alicubi apud probæ auctores observare potuerit. Accedit, quod mendosissimis Auctorum editionibus usi cum ipsi se observatores, tum lectores suos sæpissime turpiter frustrantur. Exemplo sit, quod voce *Capularis*, Plauti ex Milite versum hunc recitant, *Tam capulari stamine tibi diu videor vivere.* Et sanè sic in Aldi Manutii editione legitur, qua tamen nihil dici potest mendosius & portentosis erroribus inquinatius. Et Itali nostri cùm Aldi Plautum legerunt, sibi plaudunt ac tantum non beati videntur, nec exemplaria illa inspicere dignum ducunt, quæ vetustissimorum codicum fide Transalpini homines accuratissimè emendarunt: quod ipsum non minore ῥαθυμίᾳ ϗ ἀφιλοκαλίᾳ in cæteris faciunt auctoribus, prorsus ut si frugibus inventis malint glande victitare. Sed ad versum illum redeo, quem ex emendatioribus membranis ita viri docti nobis exhibent,

Quid ais tu? itane tibi ego videor oppido Achrunticus?
Tam capularis? tamne diu tibi videor vivere?

Ad extremum tanta passim cum imperitia in locis auctorum interpretandis versantur, ut doctis quidem uberem risus materiam præbeant, minus verò doctis

doctis errorem objiciant, ut verbis Latinis barbarè utantur: cujus quidem rei specimina nonnulla paulo superius exhibui, quorum similia, si opus sit, multò plurima afferri queant.

Quod deinde ad Inventionem attinet, aut nulli, aut non magno saltem sunt usui. Epitheta quidem aliqua sive adjectiva nomina substantivis appingunt, cæterum non nisi ea vocabula, quæ jam nota habeas, quantocunque quærendi & volandi labore invenire possis.

Habes Grosippi nostri de Lexici Latini virtutibus ac vitiis sententiam, cujus tria illa *Promptuaria* volumina, quantum ei qui quacumque de re Latinè velit scribere, adjumenti præstent, experiundo didicisse te scio. Ut autem, quanta idem cum ἀκριβείᾳ in linguæ Latinæ Commentario versetur, existimare possis, hoc tibi specimen mitto, dissertationem scilicet de Natura & Usu vocabuli *Quod*, cujus ego occasionem illi præbueram. Tu, vir optime & doctissime, meum hoc te demerendi studium boni ut consulas rogo. Vale, ac Merono plurimam verbis meis salutem dicito.

SYNOPSIS.

Lexici duæ partes esse debent: nimirum Liber	Commentarius, dirigens Judicium	Ratione, Observatione, Interpretatione.
	Promptuarius, adjuvans Inventionem	Descriptione rerum in certas classes, Isodynamia sive Æquivalentia, Appositione adjunctorum & adverbiorum.

Satisne Latinè dicatur, Scio quod sis doctus, *vel* Credo quod, *vel* Dico quod: *&* *quæ dicti sit ratio.*

PLerique omnes, qui haud vulgariter didicisse literas cum sibi, tum cæteris videntur, hoc loquendi genus velut minimè Latinè explodunt, ejusque loco, *Scio*, *Credo*, *Dico te esse doctum*, usurpandum esse contendunt: præcipuè vero Magister meus Franciscus Sanctius in Minerva ei se generi infestum præbuit, utque barbarum esse & locupletibus linguæ Latinæ auctoribus ignotum fuisse vinceret, summis viribus annisus est. Ratione eam ad rem hac utitur, *Quod* apud Latinos semper esse nomen Relativum, in quo substantivum, ad quod refertur, subaudiri necesse sit. Relationem esse in isto Ciceronis, *Quod epistolam conscissam doles, noli laborare.* Ordinem enim & sensum esse, Noli laborare circa id quod, vel Ex eo quod, vel Propter id quod. Eandem esse rationem in his Terentii verbis Hec. act.2. sc. 3. *Nam quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.* Ubi relationem esse ad nomen, quod subauditur, hoc modo Donatus agnoscit: *Deest* In eo, *ut sit*: *In eo quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.* *An deest* Quod, *ut sit* Propter quod. Mallem dixisset *Ad* subaudiri, quod Græcis est κατὰ: ut dicimus, *Quid me accusas*, *Si quid te offendo*, *Nihil te moror*, *Ne me aliquid tibi succensere suspiceris*, *Si mihi imposuisses aliquid*, *animo iniquo ferrem.* In quibus omnibus *Ad*, per ellipsin suppressum esse, in Grammaticis demonstravi; ubi & Ulpiani Jurisc. verba regulari syntaxi congruentia retuli, *Si ea res cursum fluminis ad aliquid immutavit.* Itaque facilè hoc Sanctio concedo, *Quod* semper nomen relativum esse: simul tamen in illis

quo-

quoque quæ ab eo damnantur loquendi generibus, relationem esse, & præpositionem *Ad* subaudiri contendo. Operæ verò pretium facturus videor, si prius ipsum loquendi modum à melioris notæ auctorum consuetudine nequaquam abhorrere, ipsorum verbis in medium allatis doceam, tum syntaxeos rationem quam illi secuti fuere, subtilius indagem.

Plaut. Asin. act. 1. sc. 1. *Equidem scio jam, filius quod meus amet istanc meretricem è proximo Philenium.*

Idem Aul. act. 2. sc. 1. *Scio quod dictura es, hanc esse pauperem.* Ita est in optimæ notæ membranis.

Idem Pœn. act. 3. sc. 1. *Scitis rem, narravi vobis, quod vestra opera mihi opus siet.*

Ennius, *Utinam mortem oppetam prius, quàm eveniat, quod in pauperie mea senex graviter gemam.*

Cicero 7. famil. epist. 28. *Memini quod mihi desipere videbare, quod cum istis potius viveres, quàm nobiscum.*

Idem 10. ad Attic. epist. 4. *Jurabat ad summam, quod nullo negotio faceret amicissimum mihi Cæsarem. Affirmabat, cùm scripsisset, quod me cuperet ad urbem venire, illum quidem gratias agere maximas, & non modo probare, sed etiam gaudere.*

Idem offic. 1. *Illud animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur.*

Idem lib. 1. in Verr. *Is mihi etiam queritur, quod à nobis novem solis diebus prima actio judicii sui transacta sit.*

Idem alibi, *Bene facis, quod me adjuvas.*

Cato apud Plinium 29. cap. 1. *De Græcis istis dicam, quod bonum sit eorum literas inspicere, non perdiscere.*

Varro 1. rei rust. 7. *Cato dicit, quod primus ager sit, ubi*

ubi vinea possint esse bono vino & multo : secundus, ubi hortus irriguus. Et cap. 2. *Verum est quod jubet ranam coquere in aqua.*

Idem 2. rei rust. 4. *Corpus matris à sacerdotibus, quod in salsura fuerit, demonstratur. Alii scripserunt, quod è Sicilia Hercules persecutus sit in Italiam nobilem taurum, qui diceretur Italus.*

Ibidem cap. 10. *Quod ad fœturam humanam pertinet pastorum, facile est quod habeant conservam in villa.*

Vitruv. initio lib. 10. *Utinam dii fecissent, quod ea lex etiam populo Romano esset constituta.*

Livius lib. 45. *Quàm feliciter remp. administraverim, & quod duo fulmina per hos dies domum meam perculerint, non ignorare vos, Quirites, arbitror.*

Asconius in Verrin. 2. *Moris veterum fuit, quod Prætor soleret pronunciare, Dixerunt.*

Seneca rhetor. 2. Controv. 5. *Apparet, quod utique non oportuit, si ne licuit quidem.*

Fuscus Arellius Horatii æqualis apud Senec. 1. Controvers. 2. *Probabo, quod non sit pudica.*

Hyginus Augusti libertus in Astronom. 217. *Nonnulli dicunt, quod hæc prima fuit Herculis concertatio. Et* 221. *De ceto dicitur, quod à Neptuno sit missus, ut Andromedam interficeret.*

Ovid. 5. Trist. 1. *Delicias si quis lascivaque carmina quærit, Præmoneo nunquam scripta quod ista legat.*

Quo loco præterire non possum acutissimam Tusci Lucumenis conjecturam, legendum scilicet, *Præmoneo ne unquam scripta cotista legat.* Ab Ovidio scilicet didicerunt hodierni Hetrusci *Cotesto*, quod significat *Iste.*

Idem in epistola Sapphus in Vaticano codice,

Huc ades inque sinus formose relabere nostros,
Non quod ames oro, sed quod amare sinas.

Jam

Jam ut Syntaxeos ratio fiat perſpicua, illud præcipue animadvertendum videtur, in pleriſque locorum iſtorum *Ut*, pro *Quod*, nullo ferè ſenſus diſcrimine uſurpari potuiſſe, velut ex iis, quæ ſubjiciam, cognoſci poterit.

Plaut. Amphit. act. 2, ſc. 2. *Quis niſi vos narravit mihi, illic ut fuerit prælium? Audivi ut Pterelam regem tute occideris.*

Ibidem Prologo, *Mos ille numquam meo fuit patri, ut exprobraret quod bonis faceret boni.*

Sic Mænech. act. 5. ſc. 1. *An mos eſt ita hic, peregrino ut narrent fabulas?*

Idem Bacchid. act. 2. ſc. 2. *Scis ut, ut confringi vas cito Samium ſolet.*

Idem Moſtell. act. 1. ſc. 1. *Non verum loquere, ut quis abſens abſentem comeſſe poſſit.*

Idem Merc. act. 2. ſc. 1. *Mihi illud videri mirum, ut capra uxoris dotem ambadederit.*

Idem Pæn. act. 5. ſc. 2. *Si ita eſt, ut tu ſis Iacchonis filius.*

Idem Amph. act. 1. ſc. 1. *Factum eſt, ut ego illud vini ebiberim.*

Idem Trin. act. 2. ſc. 2. *Factum eſt, ut iſtud perierit.*

Cicero 9. Attic. epiſt. 11. *De Domitio ita opinor eſſe, ut in Coſano ſit, & conſilium ejus ignoretur.*

Idem 14 Attic. epiſt. 14. *Accedit, ut ne ipſum quidem Clodium meum inſigne odium fuerit unquam.* quomodo ſæpe Lucretius.

Idem pro Sex. Roſcio. *Non eſt veriſimile, ut Chryſogonus horum literas adamarit.*

Varro 1. rei ruſt. 2. *Verum dicit, ut ille hoc ſcripſerit.*

Hygin. Aſtron. 195. *De Caſſiopeia plures dixerunt, ut gloriata ſit ſe forma Nereidas ſuperare.* Et 229. *De Phaëtonte plures ſcripſerunt, ut patris curru vectus terras incenderit.*

Quinctil. Declam. 254. *Satis eſt, ut nihil finxerit.*

Terent. Hec. act. 3. sc. 4. *Vovit si salvus domum rediisset, ut me ambulando rumperet.*

Livius lib. 22. num. 53. *Ex animi sententia juro, ut ego rempub. non deseram.*

Ita discimus, eandem prorsus verborum esse sententiam, sive quis dicat, *Narravit, Audivi, Scripsit, Verum est, ibi fuisse prælium, ut fuerit ibi prælium, quod fuit ibi prælium.* Similiter *Facilè est ut hoc fiat, quod hoc fiat, & hoc fieri. Voluit quod sacra faceret, ut sacra faceret, & sacra se facturum. Mos est hominum, quod obliviscantur beneficia, ut obliviscantur beneficia, & oblivisci beneficia. Satis est quod nihil finxerit, ut nihil finxerit, & nihil finxisse. Juravit quod faceret, ut faceret, & se facturum.* Hoc ita stabilito, proximum est ut particula *Ut* modum seu similitudinem cogitemus significari, ipsamque relativam esse, qui particula *Sic*, vel *Ita* sive expressa, sive per ellipsin suppressa respondeat. Quod quidem ita καθολικὸν ac perpetuum est, ut etiam tum locum habeat, quando vel causam finalem, vel tempus, vel votum, vel abominationem, vel hypothesin per particulam *Ut* exprimimus: quam rem quoniam vel summi in literis viri non nisi per caliginem intelligere se declarant, minimè operam lusero, si distinctius singularum particulæ significationum exempla recitem, & nusquam non similitudinem unà significari doceam. Sic enim de eo, quod fuerat nobis propositum, exploratius constitui poterit.

Causa ergo finalis aut Finis per *Ut* significatur in hoc Terentii Andr. act. 4. sc. 2. *Orare jussit hera, si se ames, jam ut ad se venias*, pro Ea causa orare ut venias. Sic quippe Plautus Stich. act. 2. sc. 3. *Nimis vellem hæ fores herum fugissent, ea causa ut haberent malum*, pro Ea de causa, qua de causa haberent malum, sive *Qui*, id est, qua re haberent malum.

Terent.

Terent. Eun. act. 3. sc. 3. *Ubi veni, causam ut ibi manerem reperit.* Similitudinem verò hic significari, & ad particulam *Sic* vel *Ita* suppressam fieri relationem, hinc perspici potest.

Plaut. Stich. act. 1. sc. 2. *Amici mihi ita auctores sunt, ut vos hinc abducam.*

Ibid. act. 4. sc. 2. *Deliberavi cum amicis, ita mihi auctores fuere, ut me jugularem fame.*

Idem Capt. act. 4. sc. 2. *Ita dico, magnus ut sit ignis. Quin ita faciam, ut te cupias facere sumptum.*

Idem Bacch. act. 1. sc. 2. *Hæc ita me orat, ut aliquem hominem sibi reperiam, qui sibi caveat.* Et act. 2. sc. 2. *Veniat miles ita ne mihi sit mora*, pro Ita ut ne sit.

Idem Milit. act. 1. sc. 2. *Eum ita faciemus, ut quod vidit, non viderit.*

Terent. Heaut. act. 4. sc. 1. *Nunc ita tempus est, ut cupiam filiam.*

Idem Adelph. act. 3. sc. 2. *Qui in sui gremio positurum puerum dicebat: patres*
Ita obsecraturum, ut liceret sibi hanc uxorem ducere.

Ita in Basilicano ac plerisque aliis codicibus legi Faërnus testatur, qui non animadvertit *Patris* (quod in Bembi & Vaticano codice invenerat) esse priscum accusativum. Æschinus porrò duos habebat patres, quos oraturus erat, Micionem & Demeam.

Cicer. 2. Tuscul. *Non sum ita hebes, ut ista dicam.*

Idem 13. famil. epist. 70. *Quia non est obscura tua in me benevolentia, sic fit, ut multi per me tibi velint commendari.*

Idem 5. Attic. epist. 11. *Nihil à me fieri ita videbunt, ut sibi sit delinquendi locus.*

Idem . . . . . *Planè ita faciunt, ut me unicè diligant.*

Propert. lib. 2. eleg. 13. *Jussit & Ascræum sic habitare*

tare nemus, Non ut Pieria quercus mea verba sequantur; Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu.

Tempus significat eadem particula, quando idem quod *Postquam* valere vulgo dicitur: ut in hoc Ciceronis, *Is ut me salutavit, statim profectus est.* Verum & hic similitudinem adsignificari, & *Sic* vel *Ita* subaudiri, non est dubium.

Cicero . . . . . *Ille ut erat lena amictus, ita venit in concionem.*

Lucret. 3. *Tu quidem, ut es leto sopitus, sic eris ævi, Quod superest cunctis privatus doloribus ægris.*

Livius 21. *Saguntini ut à præliis quietem habuerant per aliquot dies, ita non nocte, non die umquam cessaverant ab opere.*

Voti significationem habet *Ut*, quando pro *Utinam* usurpatur; ut in hoc Terentii Adelph. *Ut te Syre magnus perdat Jupiter.* Sed nemo nisi indoctissimus dubitaverit, quin subaudiatur, *Ita oro* vel *precor*: nam pro *Ut*, sæpe *Qui* positum legimus, qui est ablativus, in quo subauditur *Modo*, quasi esset, Hoc modo precor, quomodo Jupiter te perdat, id est, Ita te perdat, ut ego precor.

Terent. Andr. act. 2. sc. 1. *Fac qui detur tibi: ego id agam, mihi qui ne detur.*

Idem Phorm. act. 1. sc. 2. *Quidam Phormio, qui illum Dii omnes perduint.*

Plaut. Rud. act. 4. sc. 4. *Qui te Dii omnes perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis.*

Idem Trin. act. 4. sc. 2. *Hem istic erit, qui istum Dii perdant.*

Ennius Telepho, *Qui illum Dii Deæque magno mactâssint malo.*

Hoc autem loco observationem meretur, pro *Qui*, vel *Ut*, etiam *Quod* rectè usurpari, ut integrior oratio sit, Ita Deum precor ut te perdat, qui tibi

tibi det malum, quod tibi malum duit. Cujus syntaxeos rationem mox videbimus : interea de usu hinc constabit.

Plaut. Pseud. act.4. sc.7. *Strenui damno mihi, improbi usui sunt. SI. malum quod tibi Dii dabunt, qui sic scelestus es.*

Idem Mostell. act. 3. sc. 1. *Malum quod isti Dii Deaque omnes duint, Ita mea consilia pervertit penissimè.*

Jam Abominationem particula *Ut* exprimi vulgo censent, cùm eam post verba Timoris negandi vim habere contendunt. Terent. Andr. *Metuo ut substet hospes.* Id enim valere ajunt, Puto hospitem non substiturum, idque abominor & evenire nolim : sicut eadem fabula act.2. sc.2. *Tu Pamphile times, ne ducas; tu autem Charine, ut ducas uxorem.* Verùm satis jam planum fecit Sanctius, *Ut* nihil aliud quàm similitudinem hic significare, quodque de negatione dicunt, perspicuè falsum esse : nam pro *Ut* nullo sensus discrimine *Quomodo*, vel *Quemadmodum* dicere licet, & cùm negare volumus, negandi particulam exprimimus. Verba gratia,

Cicero 10. famil. epist. 10. *Timeo quemadmodum hæc explicari possint.*

Idem pro Milone, *Esset verò timendum, quonam modo id ferret civitas.*

Lib.4. ad Heren. *Tametsi vereor, quomodo accepturi sitis.*

Idem pro Marcel. *Vereor, ut hoc intelligi non possit.*

Idem Tusc.2. *Veremur, ut hoc natura non patiatur.*

Cæsar bell. Gall. lib. 5. *Labienus veritus si ex hibernis fuga similem profectionem fecisset, ut hostium impetum sustinere non posset.*

Quinctilian. lib. 8. cap.3. *Vocabulum Oppido, quo sunt usi paulum tempore nostro superiores, vereor ut non jam ferat quisquam.*

Horat.

Horat. 1. Sat. 3. *nam Ut ferula cædas meritum majora subire Verbera non vereor.*

Verum quidem est, plerumque *Vereor ne non possit*, vel *Vereor ut possit*, pro *Vereor ut non possit*, in auctoribus inveniri : cujus simile quiddam in aliis quoque generibus usuvenit. Verbi gratia : Eodem sensu dicitur, *Cave ut credas, caue credas, cave ne credas*, & *cave credere. Vetas me flere, vetas ut fleam, vetas ne fleam.* qua de re alias videro : nunc satis sit monuisse, *Ut* in istis modum significare, sive affirmare eam, sive negare statuamus. quod ipsum non minus fit, ubi *Ut* cum aliis verbis jungitur, aut junctum intelligitur. Tanquam.

Plaut. Epid. act. 1. sc. 1. *Id modo videndum est, ut materies suppetat scutariis, si in singulis stipendiis is ad hostes exuvias dabit.*

Cic. 7. Attic. epist. 14. *De mulieribus vide ut satis honestum nobis sit, eas Romæ esse, cùm cateræ ulla dignitate discesserint.*

Idem 14. fam. epist. 14. *Si fæminæ vestri similes Romæ non sunt, videndum est, ut honestè vos esse possitis.* Ita omnes libri, quibus invitis *Verendum* reponere stultitia est.

Ibid. epist. 18. *Videte ne non liceat exire cùm velitis.*

Idem de Fato, *Vide ne non eadem illorum causa sit & Stoicorum.*

Varro lib.9. de ling. Lat. *Non tam hanc partem ab illa dividendum, quàm illud videndum, ut satis sit verecundi etiam illam in eandem arenam vocare pugnatum.*

Idem 2. rei rust.4 in fine, *Cum circumspiceret Atticus, ne quid præterisset, Hoc silentium, inquit, vocat alium ad partem.*

Senec. epist. 98. *Calamitosus est animus futuri anxius, qui solicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usque permaneant.*

Plaut.

Plaut. Captiv. act.1. sc. 2. *Ad alios captivos meos visam, ne hac nocte quippiam turbaverint.*

Idem Persa act.1. sc. 2. *Visam hesternas reliquias, quieverintne rectè, num infuerit febris, opertane fuerint, ne quis obreptaverit.*

In horum locorum aliis satis planum est, *Ut* significare *Quemadmodum*; in aliis unà cum *Ne* subauditur: etsi *Ne* pro *Num* quoque accipi videtur posse. Sed ut ad Abominationis significationem redeam, eam non minus per *Quod*, quàm per *Ut* exprimi posse, hic Plauti versus nos docet, Asin. act.2. sc.1. *Quid illuc, quod exanimatus currit huc Leonidas? metuo quod illic obscœnavit mea fallacia*, id est, metuo ne ille fallaciæ, quam paro, malum omen attulerit: sicut idem Milit. act.2. sc. 6. *Nunc pol metuo ego, ne quid infuscaverit.*

Tandem hypothesin vel conditionem *Ut* significat cùm per *Etsi*, *Quamvis*, vulgo explicatur; velut in hoc Ovidii, *Ut desint vires tamen est laudanda voluntas.* Et in isto Cic. *Ut summa haberem cætera, temporis certè vix satis habui. Hæc, ut ego absim, nihilominus confici possunt.* In his porrò concisa est oratio, cùm subaudiatur *Fac ita*, vel *Da*, vel *Pone*, vel *Ita res esto*: ut Terent. Heaut. act.5. sc.2. *Itane tandem est, ut pater omnem animum patris ejecerit?* Et Massurius Sabinus apud Agellium lib. 4. cap. 20. *Cur ita est, ut tu sis quàm equus curatior?* Non minus autem per *Quod* hypothesin significari, multis auctorum locis demonstrari potest, quorum nonnulla hic placet subjicere: sic enim id quod recepimus, multo minore negotio Lectori probabimus.

Plaut. Asin. act.4. sc.1.

Alienum hominem intromittat neminem
Quod illa aut amicum aut patronum nominet,
Aut quod illa amica sua amatorem prædicet.
Fores occlusa omnibus sient, nisi tibi.

Quod

Quod illa dicat peregrè allatam epistolam ,
Ne epistola quidem ulla usquam sit in adibus.

Idem Aulul. act. 1. sc. 2.

Cave quemquam alienum in ades intromiseris.
Quod quispiam ignem quarat, extingui volo.

Idem Milit. act. 2. sc. 2.

Quemque à milite hoc videritis hominem in nostris tegulis
Extra unum Palastrionem , hunc deturbatote in viam.
Quod ille gallinam aut columbam se sectari , aut simiam
Dicat : disperistis , ni usque ad mortem malè multassitis.

Terentius Eunuch. act. 4. sc. 7.

Sanè quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est.

Ibid. act. 5. sc. 9.

Si in platea hac te offendero post umquam , quod dicas mihi ,
Alium quarebam , iter hac habui : periisti.

Cic. in Pison. *Nam quod iste vobis tantummodo impudens & audax videatur , nihil scitote esse luxuriosius.*

Idem 11. Attic. epist. 9. *Literas Quinti fratris ad te remisi. quas si putabis illi ipsi utile esse reddi , reddes : nihil me ladent. Nam quod obsignata sunt, habet, opinor , ejus signum Pomponia.*

Idem 2. Attic 6. *Quod tibi superioribus literis promiseram , fore ut opus exstaret hujus peregrinationis : nihil jam magnopere confirmo.*

Idem 3. Attic. 13. *Quod ad te scripseram , me in Epiro futurum : posteaquam extenuari spem nostram vidi , mutavi consilium.*

Propert. lib. 3. eleg. 1. *Quod non Tanariis domus est mihi fulta columnis ; At Musa comites, at carmina*

mina cara legenti. Pro quo Lucretius & Virgilius dixerunt, *Si non, at*, pro *Etsi non, tamen.*

Ovid. *Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit, Multa dedit multis vulnera, multa dabit.*

Idem epist. Helenæ, *Quod bene te jactes, & fortia facta loquaris: A verbis facies dissidet illa tuis.*

Auctor liberi carminis, *Quod sim ligneus, ut vides, Priapus, Prendam te tamen & tenebo prensam.*

Ex istis discimus, *Ut* & *Quod* sæpissime eandem significandi vim habere: quemadmodum in istis quoque usuvenit, quæ multo videbuntur insolentiora.

Plaut. Milit. act. 2. sc. 2. *Ferit femur ita vehementer, quod tactui ægre suppetit.*

Idem Merc. act. 3. sc. 1. *Magis est quod rideas, quàm ut lamentere.*

Idem Curc. act. 2. sc. 3. *Facite ventum ut gaudeam.*

Terent. Phorm. act. 5. sc. 2. *Vin' facere quod ego gaudeam, quodque viro tuo oculi doleant.*

Cic. 7. famil. epist. 10. *Est quod gaudeas te in ista loca venisse.*

Valer. Max. lib. 4. cap 7. num. 3. *Adeo blando uteris imperio, quod is supplicium honori prætulerit.*

Cœlius ad Cicer. 8. famil. epist. 3. *Hoc usque eò suave est, quod tota vita risus nobis deesse non poterit.*

Nunc ut ratio Syntaxeos, quam investigamus, expediri possit, in primis animadvertendum venit, *Ut* particulam similitudinis significandæ vim habere, adeoque ad antecedens *Ita*, vel *Sic*, vel *Ad eum modum*, *Ad id exemplum*, vel ad *Eo modo*, *Eo pacto*, tamquam ad correlatum suum (ut Logici loquuntur) referri, sive aliquod correlatum sit expressum, sive per ellipsin suppressum. Expressi exemplum est in hoc Catonis de re rust. cap. 78. *Ad eundem modum facito, ut placentam sine melle.* pro quo figuratè dixisset, *Facito ut placentam.* Et in hoc Plaut.

Mercat. act. 2. sc. 1. *Non ita amo, ut sani solent homines; sed eodem pacto, ut insani solent. Amavi hercle equidem ego olim in adolescentia: Verum ad hoc exemplum numquam, ut nunc insanio.* Ubi *Eodem pacto*, & *Ad hoc exemplum* per figuram omitti poterant. Et in hoc ejusdem Bacch. act. 5. sc. 2. *Scin' quo pacto me ad te introducas? B. me cum ut sis*, pro Eo pacto ut mecum sis, sive Ita ut mecum sis. Et Capt. act. 4. sc. 1. *Eodem pacto, ut Comici servi solent, conjiciam in collum pallium.* Et Rudent. act. 4. sc. 7. *Nullus erat illo pacto, ut illi jusserant.* Suppressi correlati exempla passim sunt obvia, quorum non pauca supra recitavimus, velut Plauti, *Factum est ut istud perierit. Narravit mihi, ut illic fuerit prælium. Audivi ut regem occideris.* Ejusdem est hoc Pers. act. 1. sc. 1. *Facere amicum tibi me potes sempiternum. S. quemadmodum? T. ut mihi des nummos sexcentos mutuos.* Subaudimus, *Ad hunc modum*, quod est *Ita*. Et Trinum. act. 3. sc. 1. *Quomodo tu istuc dixisti Lesbonicum suam sororem despondisse? hoc modo?* Unde intelligimus, si dictum fuisset, *Dixisti ut Lesbonicus sororem desponderit*, subaudiendum *Hoc modo*: quasi esset, *Ita dixisti, ut desponderit.*

His ita suppositis ac præmunitis in mentem nobis veniat, pro *Quis modus* Latinè dici solere *Quid modi*: ut Asin. act. 5. sc. 2. *Quid modi pater amplexandi facies?* Et ibid. act. 1. sc. 3. *Qui modus dandi? Quid modi est amandi?* pro quo Merc. act. 3. sc. 4. dixit, *Quis modus tibi exilio tandem eveniet? qui finis fugæ?* Pariter proinde pro *Is modus*, rectè dicemus *Id modi*; sicut *Id loci* pro Is locus, *Id causa* pro Ea causa. Ergo si *Id modi* sive expressum, sive suppressum antecessit, rectè *Ad quod*, & per ellipsin *Quod* subjicitur, cujus exemplum est in hoc Plauti Aulul. act. 1. sc. 2. *Ne causa quid sit, quod te quisquam quæritet*, pro Ob, sive Ad quod causæ: pro quo dici poterat, *Ne causa quid sit, ut te quisquam quæritet.*

Quo-

Quomodo Cic. pro domo, *Ne quid esset, ut lugerent boni semper*, pro Ne quid esset causæ. Et Ovid. 3. Trist. 4. *Quid fuit, ut tutas agitaret Dædalus alas, Icarus immensas nomine signet aquas.* pro Quid causæ, seu Quæ causa fuit cur, vel ob quam. Nam *Ut*, est *Quo modo.* Modus autem per Tropum significat alias Finalem causam (ex quo *Finis* & *Modus* sæpe idem significant: unde Cic. *Modum faciam*, pro Finiam epistolam, & *Modum ac finem orationi facere*) alias Efficientem propter quam quid fit. Plaut. Pseud. act.4. sc.3. *In metu sum triplici modo*, id est, Tribus de causis. ex quo intelligimus, quomodo *Ut* post verba Timoris causæ significationem habeat. Terent. Phorm. act.3. sc.1. *Enimvero Antipho multis modis cum istoc animo vituperandus es*, pro Multis de causis. Et Hecyr. act.2. sc. 3. *Filium multis modis jam exspecto ut redeat domum.* Ubi si cum Plauto dixisset, *Triplici modo filium exspecto ut redeat*, nemo dubitaret quin *Ut*, esset *Quomodo* seu *Qui.* Ita planum fit, quæ in istis sit constructio. Terent. Andr. act.2. sc.5. *Sed est quod succenset tibi*, pro Est aliquid causæ, sive Est aliquod negotium propter quod succenset. Idem Hecyr. act. 2. sc. 2. *Est quod me transire ad forum jam oportet.* Plaut. Rud. act.2. sc.6. *Bonam est quod habeas gratiam merito mihi.* Cic. 4. Attic. epist. 8. *Ignoro quid sit, quod se à me removit.* Plaut. Stich. act. 1. sc. 2. *Hoc est quod ad vos venio, quodque esse ambas conventas volo.* Nimirum figuratæ sunt id genus locutiones, propter duplicem ellipsin. Prius enim subauditur *Aliquid*, vel *Illud Causa*, aut *Negotium.* Deinde præpositio *Ad* supprimitur, à qua *Quod* accusativus regitur. *Ad*, porrò alias Finali (ut Scholarum lingua loqui pergam) alias Impulsivæ causæ significandæ servit. Finis significatur in istis, Cic. *Gladiatores emit ad cædem. Ad memoriam sempiternam. Ad quid laboramus res Romanas?*

nas? & per ellipſin, *Quid fruſtra laboramus?* Livius, *Ad fidem tantarum rerum effundi annulos juſſit.* Impulſiva in iſtis: Cic. *Quæ mihi à te ad timorem amantiſſimè proponuntur.* Livius, *Cùm abactæ boves ad deſiderium relictarum mugiſſent.* Prop. *Panditur ad nullas janua nigra preces.* In hoc ergo Lentuli ad Ciceronem 12. famil. epiſt. 14. *Quod huc properent venire, cauſam non habent*, pro Ad quod negotium, finis ſignificatur, qui non minus per *Ut*, vel *Cur*, vel *Quare*, vel *Quamobrem* exprimi poterat: ut Terent. Hecyr. act. 3. ſc. 3. *Cauſam vides, quamobrem hac à te abierit.* Cic. 13. fam. epiſt. 7. *Non erat cauſa, cur à te aliquid contenderem.* Et Heren. 2. *Cauſam oſtendemus Ulyſſi fuiſſe, quare interfecerit Ajacem.* Terent. Eunuch. act. 3. ſc. 3. *Ubi veni, cauſam ut ibi manerem reperit.* In iſto verò Ciceronis 7. Attic. epiſt. 9. *Si ob eam cauſam, quod ratio ejus non habeatur, exercitum adducat*, pro Ad quod cauſæ, ſive Ad quod nomen, cauſa propter quam, ſive impellens ſignificatur: quo ipſo ſenſu dici quoque poterat, *Si exercitum adducat, id quod ratio ejus non habeatur.* Sic quippe non ſemel Terentius, Cicero & Livius loquuntur, idque Paulus Manutius ſibi notavit. Eſt autem imminuta ac per ellipſin conciſa oratio, quæ ſic foret integra, Si ad id nomen exercitum adducat, ad quod nomen ratio ejus non habeatur. Ubi *Nomen* pro Cauſa ponitur; ſicut in illo Virgilii, *Quo nomine læſa, Quidve dolens regina Deûm.* de quo in Paradoxis literariis epiſt. 7. plura diſputavimus. Sæpius autem *Quod* ponitur pro Ad quod negotium rei, Ad quod rei, vel Ad quod modi. Plaut. Amph. act. 1. ſc. 3. *Quid iſtud eſt negotii, quod tu tam ſubito domo abeas*, pro Ad quod, ſive ob quod abeas. Terent. Andr. act. 4. ſc. 3. *Si quid eſt quod mea opera opus ſit vobis*, pro Si quid eſt negotium ad quod opus ſit. Plaut. Aſin. act. 1. ſc. 1. *Scio quod filius meus amet meretricem,*

pro

pro Scio ad quod modi amet, ſcio modum, ad quod modi amet, ſive quemadmodum amet: ſicut Bacchid. act. 3. ſc. 3. *Ego omnem rem ſcio, quemadmodum eſt*, pro Ad eum modum rem ſcio, ad quem modum eſt. Cujus generis plena oratio eſt iſta Vitruvii lib. 6. cap. 1. *Reliquæ regiones ad eum modum temperatæ, quemadmodum cælum eſt ad inclinationem mundi collocatum.* Similiter in hoc Varronis, lib. 1. rei ruſt. 2. *Verum dicit, ut ille hoc ſcripſerit*, pro *Ut* dici poterat *Quemadmodum*, vel *Quomodo* aut *Quo pacto:* nam & ita Plautus Capt. act. 2. ſc. 3. *Dicito patri, quo pacto mihi convenerit de filio*, pro Dicito modum ſeu pactum, quo pacto convenerit. Si dixiſſet, *Dicito, quod mihi convenerit*, eſſet, Dicito pactum, ad quod pactum convenerit. Ita Plaut. Merc. act. 4. ſc. 4. *Miraris, quod cocus hæc attulit*, pro Miraris modum, ad quod modi cocus hæc attulit: nam eodem ſenſu dici poterat, *Miraris, ut hæc cocus attulerit.* Quomodo eadem fabula act. 2. ſc. 1. *Mihi illud videri mirum, ut capra ſimiæ dotem ambadederit*, pro Quomodo ambadederit: velut Laberius Caſulerio, *Miror quomodo mammæ mihi deſcenderunt*, pro Miror modum, quo modo deſcenderunt. Itaque *Miror quod deſcenderunt*, eſt Miror modum, ad quod modi deſcenderunt, ut *Quod* ſignificet idem prorſus quod *Quemadmodum:* cujus illuſtre exemplum eſt hoc Ciceronis 13. famil epiſt. 40. *Si ulla umquam apud te mea commendatio valuit, quod ſcio multas valuiſſe plurimum, hæc ut valeat rogo.* Hic enim *Quod* eſt Ad quod modi: ſicut etiam in iſto Plauti Aulul. act. 2. ſc. 5.

Hic apud nos magna turba ac magna familia eſt,
Supellex, aurum, veſtes, vaſa argentea.
Ubi ſi perierit quippiam (quod te ſcio
Facile abſtinere poſſe, ſi nihil obviam eſt)
Dicant, Coci abſtulerunt, comprehendite.

 His

His duobus exemplis jam triginta duo ſunt anni cùm vocis *Quod* uſum publicè oſtendi : ſed rationem neque ipſe tum vidi, neque quiſquam eorum, qui, quod à me didicerant, tamquam ſuo Marte inventum, in libros ſuos retulerunt. Dehinc nihil erit caliginis, non modo in iſto, quod hoc loco monui, ſed neque in multis aliis loquendi generibus, ubi Q*uod* per ellipſin præpoſitionis ſignificat *In quo*, vel *de quo negotio*, vel *Quantum attinet ad negotium præſens*, ſive *de quo ſermo eſt*, velut ex ſubjectis exemplis intelligi poterit.

Terent. Eunuch. act. 2. ſc. 1. *Munus noſtrum ornato verbis, quod poteris; & iſtum æmulum, quod poteris, ab ea pellito.* pro Ad quod poteris, Quoad poteris, In quantum poteris.

Idem Heaut. act. 3. ſc. 1. *Quod potero, adjutabo ſenem.*

Idem Andr. act. 1. ſc. 5. *Hujus formam atque ætatem vides, nec clam te eſt, quàm illi nunc utraque inutilis & ad pudicitiam & ad rem tutandam ſit. Quod ego te per hanc dextram oro, ne abs te hanc ſegreges, neu deſeras.*

Idem Hecyr. act. 3. ſc. 2. *Malè metuo, ne Philumenæ magis morbus aggraveſcat, quod te Æſculapi, ne quid ſit hujus, oro.* Ubi perperam Muretus *Quod* αἰτιολογικῶς pro *Propter quod* dictum interpretatur, cùm ſit *Ad quod negotium quantum attinet.*

Idem Adelph. act. 3. ſc. 2. *Nunc illud eſt, quod ſi omnes omnia ſua conſilia conferant, auxilii nihil afferant.* pro Nunc illud eſt tempus, ad quod nihil afferant auxilii : nam *Ad*, in tempore ſignificando uſui eſſe ſolet, ut Phorm. act. 3. ſc. 2. *Tibi eſt olim dies, ad quam dares, præſtituta.* Cic. *Venit ad id tempus, quod ſcribis. Ad Januarium te exſpectamus.*

Idem

Idem Heaut. act. 1. sc. 1. *Hac inter nos nupera notitia admodum est, inde adeo quod agrum hic in proximo mercatus es.* pro Inde ab eo tempore, ad quod tempus mercatus es.

Plaut. Amphit. act. 1. sc. 4. *Jam diu est, quod ventri victum non datis. Jam pridem videtur factum, quod homines quatuor in soporem collocastis*, pro Ad quod tempus.

Cic. 7. fam. epist. 28. *Memini quod mihi desipere videbare.* pro Memini tempus illud ad quod videbare desipere. Vel, Ad eum modum memini, ad quod modi.

Idem 14. fam. epist. 4. *Cum omnia mihi tempora sunt misera, tum vero cùm scribo ad vos, conficior lacrymis sic, ut ferre non possim. Quod utinam vitæ minus cupidus fuissem, certè nihil in vita mali vidissemus. Quod si nos ad aliquam spem fortuna reservavit, minus est erratum à nobis.* Hic bis *Quod* valet *Ad quod negotium*, id est, Ad quod negotium, sive ad quam rem quod attinet. Fallitur Manutius qui *Quod* per *Sed* cum hic, tum alibi positum ait. Alicubi enim ridicula fieret oratio, si quis *Sed* pro *Quod* reponeret. Ita Ter. Phorm. act. 1. sc. 3. *Rogas, qui tam audacis facinoris mihi sis conscius? Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset.* Pari modo *Quod ni*, vel *Quod nisi*, *Quod si*, *Quod etsi*, *Quod ne*, *Quod cum*, *Quod ubi*, *Quod nunc*, *Quod quoniam*, *Quod quia*, *Quod id*, apud optimos auctores legimus: in quibus semper *Quod* refertur ad præsens negotium, in eoque præpositio *Ad* subauditur; adeoque nihil horum in principio orationis, ubi nihil sit quod præcesserit, rectè usurpatur.

Cic. *Quod ni ita putarem, ipse perscriberem.* Et Terent. Phorm. act. 1. sc. 3. *Adeon' rem rediisse, ut*

ut patrem extimescam, ubi adventi ejus in mentem venit? Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarem, ut par fuit. Ita etiam Lucretius & Livius.

Idem de Finib. 4. *Quod etsi ingeniis magnis præditi quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur: ars tamen est dux certior, quàm natura.*

Idem in Lucullo, *Quid ergo est, quod percipi possit, si ne sensus quidem vera nunciant? quos tu Luculle communi loco defendis. quod ne id facere posses, iccirco heri non necessario loco contra sensus multa dixeram.* Hoc ita imitatur Apulejus, *Quod ne vobis videar Poëtico ritu incredibilia fingere, dabo exemplum.*

Idem lib. 1. in Verrem, num. 26. *Simul servis suis Rubrius, ut januam clauderent, imperet. Quod ubi Philodamus intellexit id agi, ut filia sua vis afferretur, servos suos ad se vocat.*

Cæsar belli civil. 2. de Massiliæ obsidione, *Porta, quibus locis videbatur, eruptionis causa in muro relinquuntur. Quod ubi hostes viderunt, ea quæ longo spatio refici non posse sperassent, paucorum dierum labore refecta esse, ad easdem deditionis conditiones recurrunt.*

Idem belli civil. 3. *Munitionem cohortes ignorantia loci sunt secutæ, cùm portam quærerent castrorum, quod eam munitionem esse arbitrarentur. Quod cùm esset animadversum conjunctam esse flumini, protinus his munitionibus defendente nullo transcenderunt.*

Livius lib. 41. num. 10. *Consul utrumque decedere provincia jussit. Quod cùm milites se consuli dicto audientes fore dicerent, cùm is more majorum votis nuncupatis profectus ab urbe esset, furens ira catenas poposcit.*

Cicero 9. famil. epist. 15. *Nam quod me amas*

(quod

(quod id & jam pridem & constanter facis) est id quidem magnum, sed tibi commune cum multis, pro Ad quod modi, seu Quemadmodum id facis.

Idem extremo lib. 1. de Finib. *Voluptatibus amicitiæ non solum præsentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. Quod quia nullo modo sine amicitia firmam jucunditatem vitæ tenere possumus, iccirco amicitia cum voluptate connectitur.*

Cœlius 8. famil. epist. 14. *Neque mearum rerum quid consilii capiam reperio. Quod non dubito quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura.*

Lucret. lib. 1. vers. 221.

Quod nunc æterno quia constat semine quæque,
Nullius exitium patitur natura videri.

Et vers. 501. —— *parvissima quæ sunt,*
Ex infinitis constabunt partibus æque.
Quod quoniam ratio reclamat vera negatque,
Credere posse animum, victus fateare necesse est,
Esse ea, quæ nullis jam prædita partibus extent.

Viro Clarissimo

LUCÆ HOLSTENIO,

Hamburgensis Ecclesiæ Præposito,

MARIANGELUS A FANO BENEDICTI S. P. D.

VII.

ETsi te literarum Græcarum & Latinarum hac nostra ætate cum primis peritum bonorum auctorum lectio, multaque tam versa, quam prosa oratione scribendi exercitatio nihil de iis, quæ rectè, ac secus Latinè dicuntur, ambigere patitur: nequaquam tamen dubito, quin idem

ipſum tibi, quod aliis maximi in literis nominis, uſuveniat, ut te occultas eorum cauſas, quæ Latini ſermonis fert conſuetudo, *Groſippo* facem prælucente penitus conviſere delectet. Cùm enim ſcire natura jucundum ſit, nihil verò ſciri poſſit, cujus cauſa ignoretur, fieri omnino nequit, quin etiam ubi rem quampiam noris, ejus cauſam diſcere gaudeas, ea verò ignorata imperfectum ex rei notitia fructum capias. Inter alia verò multa loquendi genera, quorum rationem ante Groſippum nemo expedire ſcivit, noſti eſſe illud *Viſum ire* & *iri:* ubi Groſippus duplicem ellipſin eſſe monuit, ut plena regularique ſyntaxi conſentanea ſit oratio, *Viam ire*, vel *iri ad viſum*, hoc eſt, Ad videndum. Huic porrò conſequens eſt, ut in Catonis loco, quem Agellius recitat, legendum ſit, *Contumelia quam mihi per hujuſmodi petulantiam factum itur*, non ut Agellius alucinatur, *Quæ mihi factum itur*. Rationes Paradoxo ejus ſecundo p.13. & Grammaticæ pag.132. viſas tibi eſſe non dubito: quibus addas licet, cùm Plautus in Amphitruonis Prologo dixerit, *Juſtam rem oratum à vobis veni ei*, qui roget, *Ad quid venitur?* rectè reſponderi, *Rem juſtam oratum venitur:* nam Accuſativus ab *Oratum* regitur, & Verbi finiti *Venitur* ſuppoſitum ſubaudimus, quod eſt *Adventus* ſeu *Venire*. Nemini proinde dubium eſſe poteſt, quin rectè quoque dicam, *Rem juſtam oratum itur*, & *Rem juſtam oratum iri videtur*, pro Ad orandum rem juſtam iri videtur, nempe *Iter* ſeu *Viam*. Eſt autem Tropus duplex in hoc genere, *Via itur oratum*, ſive *ad orandum*, pro *Orabitur*; ſeu per periphraſin, *Erit ut oretur*: nam *Viam ire, tendere, intendere* aut *inſiſtere*, pro *Velle* aut *Conari* per Metaphoram dicitur. Sed *Velle facere* pro *Facere* eſt Metonymia cauſæ pro effecto, cùm voluntas & facultas actionum cauſæ ſint. qua de re Groſippus in Propædia Rhetorica agit copioſius. Jam ſatis

ſatis tibi apparere opinor, rectè dictum eſſe, *Rem juſtam oratum veniri videtur*, non *Res juſta*: quoniam, ut dixi, *Rem juſtam* regitur ab *Oratum*. Similiter itaque & *Rem juſtam oratum iri videtur*, dicendum eſt, non *Res juſta*. Senſus quippe eſt, *Iri videtur à legatis, ut orent rem juſtam*; prorſus ut ſi dictum ſit, *Ire videntur legati oratum rem juſtam*. Atque hinc planum fit apud Fabium legi oportere, *Reum parricidii damnatum iri videbatur*, nempe à Judicibus; hi ſcilicet ire videbantur, ut damnarent parricidii reum. Perinde ergo eſt acſi dicas, *Ad damnandum parricidii reum iri videbatur*. Neque verò quicquam negotii Groſippo faceſſit, quod apud Ciceronem de Inventione 2. quo loco de Controverſia ſcripti & ſententiæ agit, hoc modo legitur, *Si ipſa ſeparatim ex ſe verba conſiderentur, omnia aut pleraque ambigua viſum iri*. Deeſt enim verbum *Eſſe*, ut integra oratio ſit, *Viſum iri omnia verba eſſe ambigua*: quo exemplo & Plinius lib. 7. cap. 1. *In quibus prodigioſa aliqua multis viſum iri haud dubito*, pro Viam iri ad viſum (id eſt, Ut videatur, hoc eſt, Fore ut videatur multis) aliqua eſſe prodigioſa.

Obſcuriſſima quoque, vel doctis eſt dicti ratio in hoc Terentii Hecyr. act. 5. ſc. 1.

Jam ea ætate ſum, ut non ſit peccato mihi ignoſci æquum.

Donatus putat aut deeſſe *In*, ut ſit In peccato; aut *Peccato mihi* poſitum pro *Peccanti mihi*. Sed in utroque alucinatur. Adrianus Behotius Apophoret. lib. 1. cap. 8. rectè interpretatur *Peccato ſi peccatum ſit*. Ratio verò ſyntaxeos Groſippo docente hæc eſt: In *Peccare*, niſi externus addatur Accuſativus, internus aut formalis ſubauditur, nempe *Peccatum*: quomodo Græci ἁμαρτεῖν ἁμαρτίαν aut ἁμάρτημα, cujus accuſativi vim habet verbum infinitum, ut ſi dicam *Peccavit peccare*; ſicut Nominativi in iſto, *Peccare peccatum eſt*. In Ablativo porrò, qui vulgo *Abſolutus* aut *Conſequentiæ* perhibetur, præpoſitionem

nem *A* ſubaudimus, quæ idem quod *Poſt* ſignificat: ut, *Urbe condita* pro Ab urbe condita, id eſt, poſt conditam urbem. Livius lib. 23. 36. *Ab re bene geſta lætum exercitum.* Et lib. 4. 41. *Mœſta civitati ab re malè geſta Poſthumius reus objectus.* Ovid. 2. Triſt. *Hic tibi ſic redeat ſuperato victor ab hoſte.*

Lucan. 1. ——— *Moremque ſiniſtrum*
Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis.

Jam ergo *Peccato* eſt *A peccato peccare*, hoc eſt, Poſtquam peccare peccatum ſit. Similiter in hoc Cic. 2. Agrar. *Cui errato nulla venia, rectè facto exigua laus proponitur.* Sententia eſt, Poſtquam errare erratum, rectè facere factum ſit. Et in iſto Horatii,

Excepto quod non ſimul eſſes, cætera lætus.

Senſus eſt, Poſtquam excipere, quod non eſſes ſimul, exceptum ſit. Neque tamen repugnat Groſippus, quin præpoſitio *In* ſubaudiatur, dum tamen *Poſt* ſignificet: ut in hoc Catulli,

Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis ſi tibi Dii favent, diebus.

quod eſt, Poſt paucos dies.

Plaut. Pœn. *Aruſpex dixit paucis diebus nos fore liberas.*

Propert. *Venturum paucis me tibi Luciferis.*

Idem, *At tu etiam juvenem ſpernis, me perfida, cum ſis*
Ipſa anus haud longa curva futura die.

id eſt, Propediem, Poſt diem non longam. Præpoſitionem vero *In* deſiderari in iſtis, multa auctorum loca nos docent:

Terent. Andr. *In diebus paucis, quibus hæc acta ſunt, Chryſis moritur.*

pro Poſt dies paucos.


Catull. *Si reditum retuliſſet is haud in tempore longo.*

pro quo Virgil. *Reſpexit tamen, & longo poſt tempore venit.*

Cæterum quoniam in *Participia* incidi, quæ Groſippus

sippus distinctam ab aliis partem orationis esse negat, ac *Nomina Verbalia* esse contendit, sed quæ aliquod Verbi accidens participent: operæ videor pretium facturus, si quæ ille de nominibus verbalibus Grammaticæ pag. 145. disseruit, Synopsi quadam comprehensa oculis subjiciam.

SYNOPSIS NOMINUM VERBALIUM.



Ornatissimo & Eruditissimo Viro

OCTAVIO FERRARIO

MARIANGELUS A FANO

BENEDICTI S. P. D.

VIII.

CUm multa doctores veteris Grammaticæ, quam *Cloacinam*, ut scis, Grosippus noster indigitat, maximis impedita difficultatibus tradiderint, tum haud scio quicquamne spinosius, quàm de Relativorum nominum, præcipuéque Reciprocorum constructione præceperint, ut verè Crucem ingeniis ea in re fixisse videantur. Minimè proinde vulgare hoc etiam Grosippi est beneficium, quo Latinarum literarum studiosos sibi devinxit, cùm istam ingeniorum carnificinam sustulit, totamque hanc syntaxin perspicuè expedivit. Erunt, satis scio, qui subducto supercilio hanc ejus operam aspernentur, seque ea causa manum versuros negent, quippe quibus ἀμουσία sua cordi sit, omnis verò humanior literatura perinde ac suibus amaracinum adversetur. His ego barbariæ cœnum, cui adsueverunt, libens relinquo, ut porcorum vice

Insatiabiliter toti volvantur ibidem.

Tibi quidem hanc Grosippi præceptionem cognitu jucundissimam fore confido, ut qui præstans, quo polles, ingenium non Philosophicis modò ac Theologicis studiis tibi imbuendum, sed literarum quoque Græcarum ac Latinarum apparatu ornandum esse rectè statueris. Vale, nosque ama.

DE

DE RELATIVORUM,

Præcipueque Reciprocorum Syntaxi

PASCASII GROSIPPI

Admonitio.

DE Relativo generali vix attinebat quicquam præcipere, cùm sit species Adjectivi, adeoque necesse habeat cum antecedente nomine, expresso aut suppresso, in numero & genere, vel certè in generis terminatione convenire, etsi casu discrepet; cum sequente verò nomine expresso aut suppresso, perinde ut quodvis adjectivum cum substantivo consentit: ut, *Odi hominem, qui simulatè loquitur.* Hic relativum *Qui*, cum antecedente nomine substantivo expresso, quod est *Hominem*, consentit in numero & genere, sed casu discrepat: cum sequenti verò nomine substantivo suppresso, quod est *Homo*, consentit in numero, genere & casu. Similiter in hoc, *Fuit quidam mercator, is navem fregit, qua vehebatur*, relativum *Is*, cum antecedente & sequente nomine *Mercator*, consentit in genere, numero & casu. Sed relativum *Qua*, cum antecedente nomine *Navem*, convenit in genere & numero, etsi casu discrepet; cum sequente autem suppresso, quod est *Nave*, convenit in genere, numero & casu. Cæterum *Qua vehebatur*, non est regularis constructio, cùm ablativi casus nomen cum verbo non concordet per ullam regulam, nec etiam ab ullo verbo regatur. Est ergo Figura, & quidem illa figuræ species, in qua aliquid deest, *Ellipsis* puta. Jam ex duodecim Maximis, sive Regulis capitalibus Syntaxeos constat, *omnem Ablativum à præpositione regi.* Deest ergo *A*, vel *In* præpositio, à qua *Nave* ablativus suppressus regi-

regitur; quæ jam altera Ellipsis est. Ex iisdem enim Maximis discitur, *omne Adjectivum habere suum Substantivum sive expressum, sive suppressum, cum quo concordet.* Sic *Non laudo, qui heros fallunt.* Relativum *Qui* cum antecedente nomine substantivo suppresso *Homines* convenit in genere & numero tantùm, cum eodem sequente iterum suppresso in genere, numero & casu. Esse verò accusativum *Homines* per Ellipsin suppressum, ex Maxima illa intelligitur, *Omne verbum activum semper accusativum expressum aut suppressum regit.*

De Reciproco duplex est consideratio; nam vel de Constructione ejus præcipitur, vel de Significatione. Quod ad Constructionem attinet, quæ hujus loci est propria, alia est ratio reciproci substantivi *Sui, sibi* & *se*; alia reciproci adjectivi *Suus, sua, suum.* Substantivum reciprocum cum antecedente nomine, quod refert, & in quod reflectitur, in numero convenit, etsi *sui, sibi* & *se* tam pluralis, quàm singularis sunt numeri: ut, *Nemo sui obliviscitur. Omnes sibi sapiunt. Nemo se odit. Omnes sibi bene esse malunt, quàm alteri.* Adjectivum reciprocum cum substantivo nomine secum conjuncto perinde ut alia adjectiva in genere, numero & casu convenit: ut, *Ulciscentur eum mores sui. Jubet salvere suus vir uxorem suam. Expectat te domi sua. Ille rerum suarum satagit. Non novit eum mater sua.*

De significatione Reciproci, alterius loci est præceptio. Hoc loco duo monuisse satis fuerit. Alterum, *Suus* interdum significare idem quod *Proprius*: ut, *Justitia suum cuique tribuit. Suo sibi gladio hunc jugulo. Ille suo sibi servit patri*, id est, Patri proprio, qui ei sive sibi est suus. *Suam sibi rem salvam sistam, cùm venerit*, pro Rem, quæ ei sua est seu propria. quo exemplo & *Meus mihi*, & *Tuus tibi* rectè dixeris. Plaut. Truc. *Ubi malè accipiar mea mibi*

pecu-

pecunia. Et Caſ. *Opinione melius res tibi habet tua.* Cic. 10. ad Attic. epiſt. 8. *Feram ſicut multi clariſſimi homines tulerunt: niſi me fortè Sardanapali vice in ſuo lectulo mori malle cenſueris, quàm exſilio Themiſtocleo.* Ubi *Suo*, valet *Proprio*, cui opponitur *Alienum.* Terent. Eunuch. *Viden' os ſuum, & cibus quid faciat alienus?* Alterum, Relationem antecedentis nominis tertiæ perſonæ, quod ſit primum & præcipuum ſuppoſitum, indifferenter fieri per relativum commune & reciprocum, niſi ſermo inde fiat ambiguus: nam vitandæ ambiguitatis cauſa alias Reciproco, alias quocunque relativo nomine antecedens refertur, cùm conſtructionis, utro quis utatur, nihil interſit. Ut Cor. Nepos, *Antonius non ſolum Ciceroni, ſed etiam omnibus ſuis amicis erat inimiciſſimus*, pro Ejus, id eſt, Ciceronis. Idem, *Amici abſentes in eorum periculis curæ erant Attico*, pro Suis, nempe Amicorum. Idem, *Cicero prædixit, quæ vivo ſe acciderunt*, pro Eo vivo. Livius, *In Pauli domo præter ſe nemo ſupereſt*, pro Præter ipſum. Plaut. Capt. *Numquam ei ſervus fuit præter ſe.* Idem Milit. *Si quid malitioſè faciendum eſt mulieri, ea ſibi immortalis memoria eſt meminiſſe*, pro Ea illi. Ibid. *Excruciabit me herus, quia hæc ſibi non dixerim*, pro Ipſi. Idem Trin. *Malus bonum malum eſſe vult, ut ſit ſui ſimilis*, pro Ipſius. Ibid. *Cognatis dicam, bona mea inter eos partiant*, pro Inter ſe. Cato de re ruſt. cap. 37. *Vitis ſi macra erit, ſarmenta ſua concidito minutè*, pro Sarmenta ejus. Cicero, *Ulciſcentur illum mores ſui. Eum mores ipſius convincunt.* Idem, *Quid arbitramini Rheginos mereri velle, ut ab eis marmorea Venus illane auferatur?* pro Ab ſe. Idem, *Camillus ſcripſit te cum eo locutum*, pro Secum. Aſcon. in Milon. *Pompejus fuerat familiariſſimus Clodio, & ſectam ſuam ſequi ſe palam profitebatur*, pro Sectam ejus. Ovid. *Ecce rogant teneræ ſibi dem præcepta puellæ*, pro Ipſis. Vellejus,

Alexander à Lysippo impetravit, ut cæsorum equitum faceret statuas, & ipsius quoque iis interponeret, id est, Alexandri: nam si *suam* dixisset, fuisset ambiguum, de Alexandri, an de Lysippi statua loqueretur. Cæsar, *Helvetii persuadent Rauracis, ut unà eum iis proficiscantur*, pro Secum unà, id est, cum Helvetiis. Idem, *Allobrogibus persuadent, ut per suos fines eos ire patiantur*, pro Ut se Helvetios per fines suos, id est, ipsorum Allobrogum, ire patiantur. Idem, *Pompejus rescripsit, non suo consilio aut voluntate Domitium se Corfinium contulisse*, pro Non ipsius Pompeji consilio. Cæcina, *Cæsar irascitur ei, qui aliquid scripsit contra voluntatem suam*, pro Ejus, nempe Cæsaris. Idem, *Ignovit omnibus, qui multa Deos venerati sunt contra ejus salutem*. Cicer. *Dionysius Amasium suum interfici jussit, quia viam demonstravisset interimendi sui*, pro Ipsius, nempe Dionysii. Idem, *Pythius piscatores rogavit, ut ante hortulos suos piscarentur*, pro Ipsius.

Nobili & Studioso Adolescentulo

PETRO PAULO
CARAVAGIO
MARIANGELUS A FANO
BENEDICTI S. P. D.

IX.

QUæ in Alvari de Syllabarum quantitate præceptiones Grosippi qua monitis, qua libris adjutus nuper annotavi, dono tibi nunc mitto, in monumentum amicitiæ nostræ, meique erga te studii pignus. Non quidem auctor tibi esse velim, ut in scribendis versibus quicquam hoc tempore

tempore ab Alvari regulis, quas memoriæ jam mandasti, recedas. Ubi tamen cum ætate judicium confirmaveris, plusne Grammaticorum placitis, quàm magnorum Poëtarum exemplo tibi standum sit, nemine quamvis monente tua sponte constitues. Vale.

MARIANGELI A FANO BENEDICTI

Annotationes in Alvarum de Syllabarum dimensione.

(*a*) I, & V vocalibus præpositas, non esse consonantes, sed diphthongi partem, Grosippus à pag. 156. usque ad 165. multis disputat, quem consulere Magister poterit.

(*b*) Primam in *Fieri* veteres producere solebant. Plaut. Amphit. act. 1. sc. 2. *Pater curavit uno ut fœtu fieret*. Trin. *Si in obserendo possint interfieri*.

(*c*) I, in *Alterius* producit elegantissimus Grammaticus Terentianus, ubi de Jambico versu loquitur, *Nec alterius indigens opis veni.* Item de carmine Heroico, *Sub alterius consonat vocabulo*.

(*d*) Unde fiat, ut diphthongus sequente vocali corripiatur, vide in Grammat. Philosoph. pag. 163. Quod mox de Vocalis productione ob sequentem I consonantem præcipitur, à Virgilio non est observatum Æneid. 5. *Ore rejectantem, mistosque in sanguine dentes*.

(*e*) *Abscido*, ex *Abs* & *Cado*, usitatissimum Latinis verbum fuisse docuit Gifanius in Lucretiano indice, quo loco *Vitalia rerum* quid sit, exsequitur; itemque in Latinæ linguæ observationibus. In libro Glossarum Vaticanæ bibliothecæ sic se legisse Grosippus testatur, *Abscidens, abrumpens.* Virgil. *Hic*

plantas tenero abſcidens de corpore matrum. Ita Gloſſis auctoribus corrigere Virgilii locum poſſumus, quamvis omnes tam typis, quàm manu deſcripti codices habeant *Abſcindens.*

(*f*) *Recenſitus* tamen penultima longa dixit Claudianus ferreæ ætatis ſcriptor.

(*g*) Doctiſſimus Giſanius in præfatione ad Lucretii Lectorem, ſecundam in *Nihilo* natura longam eſſe, adeoque corripi non poſſe perperam cenſet, quod prior in *Hilum* ſit longa. Catullus enim perſpicuè eam corripit in verſu iſto Glyconio, *Cælites, nihilominus* -v||-vv-||v-

(*h*) Mediam in *Ambitus* participio natura non minus brevem eſſe, atque in *Exitus, Aditus, Initus, Obitus, Præteritus*; ſed ex eventu, ſeu per accidens produci, quia ſcilicet ultima in *Ambe* vel *Ambi*, cum prima litera vocis *Itus* in diphthongum coaleſcat, ex Grammat. Philoſ. pag. 178. & Parad. literar. pag. 62. diſci poteſt. quod ipſum ſibi quoque viſum eſſe ſuis ad Groſippum literis teſtatur cultiſſimus ætatis noſtræ Poëta & Juriſconſultus Hieronymus Aleander.

(*i*) De *Refert*, pro Intereſt, dupliciter Alvarus fallitur: nam nec priorem ſemper habet longam, nec à *Res* originem ducit. Juvenalis verſus eſt,

Sportula quid referat, quantum rationibus addat.

id eſt, Quid interſit, quid tibi utilitatis afferat, apportet vel importet. Vide Groſippi Grammat. pag. 70. Ubi docet, *Quid hoc mea refert*, conciſè dici, pro Quid hoc refert, ſive affert ad mea negotia, ſive ad meas res, aut rebus meis.

Plaut. Perſa, *Quid id ad me, aut meam rem refert, Perſæ quid rerum gerant?*

Ibid. *Prius percunctari volo, quæ ad rem referunt.*

(*k*) Fruſtra tot exceptionibus Alvarus cavet regulæ ſuæ de quantitate præpoſitionis *Pro*, cùm dubium

bium non ſit, quod in Lucretio Giſanius notat, ancipiti eam apud Latinos intervallo fuiſſe. Hinc *Proſocer*, & *Pronurus*, O longa, *Pronepos* brevi Ovidius extulit.

(*l*) Ejuſdem Giſanii in Lucretiano indice verba ſunt, *Putant Grammatici RE ſemper breve eſſe; falsò, ut alibi docuimus: SUB, & AB, ſemper brevia; & hoc minus rectè. De PRO ſimile eſt eorum judicium, etiam, niſi me fallit meum, depravatum.* Lucretii verſus lib. 3. in libris veteribus,

Nec deſiderium noſtri nos adigit ullum.

Et lib. 1. *Recidere inferiora magis, quàm corpora noſtra.*
Tantum religio potuit ſuadere malorum.

Iterum lib. 3. *Refugiſſe volunt longè, longèque remâſſe.*

Et lib. 2. *Reliquia motus vitales vincere ſape.*
Id rurſum cæli relatum templa receptent.

Et lib. 4. *Percipe nam certò penitus remota videntur.*

Propert. *Recidit inque ſuos menſa ſupina pedes.*

Ovid. 10 Metam. *Recidit in ſolidam longo poſt tempore terram.*

Horat. *Dii tibi dent claſſem capta reducere Troja.*

(*m*) E in *Tepefacio*, *Liquefacio* & ſimilibus anceps eſt, quoniam quantitas ejus proferenda voce macroſyllaba vix apparebat. Notat Alvarus ex Lucretio *Expergefacta*, *Patefecit*, *Patefiat*, *Rarefiat*, E longa. Addi indidem poterat *Putrefactus*. Lib. 2. *Et tamen hac cùm ſint quaſi putrefacta per imbres.* Nec dubito, quin idem in *Arefecit* facturus fuerit, niſi neceſſitate metrica adductus ſic invertiſſet lib. 6. *Principio terram ſol excoquit, & facit are.* Sed in *Cinefactus* E idem corripit lib. 3. *At nos horrifico cinefactum te prope buſto.*

(*n*) O in *Retroverſus* hodie corripi monet Alvarus. id quam benè fiat, neſcio: nam poſterior in *Retro* perpetuò à Lucretio, Virgilio, ejuſdemq; notæ aliis

producitur. *Retroversum* Grosippus in Lucretio reponendum censet lib. 4. ubi de speculis agitur,

Usque adeo à speculo in speculum tralucet imago :
Et cùm læva data est, fit rursum ut dextera fiat :
Inde retroversum redit & convertit eodem.

Monet Gifanius in veteribus libris esse, *Retrorsum redit :* unde ipsi visum fuit legere *Reddit*. Sed nihil attinet versum tam elumbem Poëtæ tribuere.

(*o*) Cur O in *Bobus* producatur ; ratio est, quoniam contracta vox est ex *Bovibus :* unde primum factum est *Boubus*, inde *Bubus* & *Bobus*.

(*p*) *Natricis* genitivus à *Natrix*, sine dubio longa est, cùm sit à nando natrix, sicut à Natando Natatrix. Alvarum induxit Nonius, cujus in laudandis auctorum verbis oscitantiam suspectam habere debuit. Lucillii versus Jani Douzæ patris judicio rectius sic legitur, *Natricem impressit manibus crassam & capitatam.* Sumitur autem Natrix, sicut & Serpens apud Græcos, pro eo, quod incolumi pudore non dixero.

(*q*) *Venimus* præsentis temporis, media brevi extulit Terentius Phorm. act. 1. sc. 2.

Eamus, duc nos sodes ; Imus, venimus,
Videmus. Virgo pulcra : & quo mage diceres.

(*r*) Notat Gifanius in ipso Lucretiani indicis vestibulo, *A* literam sæpè à veteribus contra vulgatos Grammaticorum canonas productam reperiri, sed loca plerumque esse mendis inquinata turpissimè. Lucret. 1. *Sanguinis, aut aliquid, nostra quo corpora aluntur.* Et lib. 4. *Quæ quasi membrana vel cortex nominitanda est.* Virgil. *Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto.*
Grosippus hoc amplius notavit pleraque ancipitia esse, quæ vulgo brevia, aut longa tantum credantur. Ut *Contra* posteriore brevi apud Manilium, & Valerium Flaccum, quorum versus Alvarus reci-

tat,

tat, & apud Phædrum lib. 3. fabul. 41. *Alii onerant saxis, quidam contra miseriti*: ut dubitandi nulla sit ratio, quin ipsum in *Ultra*, *Citra* & *Frustra* usu venerit, etsi exempla ejus rei non extant, nisi apud Terent. Heaut. act 4. sc. 8. *Daturum vah frustra sum igitur gavisus miser*: qui est senarius, in quo Faërnus *A* in *Frustra* non sine exemplo corripi, & *R* in *Igitur* elidi monet. In *Triginta* & similibus ultimam alias produci, alias corripi idem exemplis docet Alvarus. *Antea* Catullus & Horatius ultima producta efferunt, quia usu facta fuit particula, cum fuerit *Ante ea facta*, hoc est, Ante id factum. Idem ergo in *Postea* fieri poterit, cùm sit *Post ea facta*. Ovid. contra *A* in *Postea* corripit: nihil ergo impedit, quin idem fiat in *Antea*. In *Propterea* producitur *A*, quia usus fecit particulam: sed eadem corripi posse, vel hinc judicare licet, quod *Ea propter* Lucret. lib. 4. dixerit, etsi *A* longa ob positionem: quæ ipsa est ratio in *Interea* & *Praterea*. Ridiculum est, quod Alvarus *Puta* pro adverbio habet in hoc Pers. *Hoc puta non justum est, illud malè, rectius istud.* Est enim futurum tertium, sive præsens Imperativi primæ conjugationis: quomodo & in hoc Triphallicorum versu, *Ut Phœbo puta filioque Phœbi*: qui est Phaleucius. Martial. *In folio puta te mergere Flacce caput*. Notat autem Grosippus omnes Imperativos in A, E & I, ancipitem apud veteres habuisse ultimam, ejusque rei apud Comicos exempla passim inveniri. Catul. in Hendecas,

Quæso, inquit, mi Catulle, paulum
Istos commoda: nam volo ad Serapin
Deferri. Mane inquis puella.

In marmorea arca valde antiqua, *Tempera jam genitor lacrimas, tuque optima mater Desine.*

(s) Non solum *Cave*, sed & *Vale*, brevi *E*, inveniri notat Alvarus: cujus rei ratio est, non quia

verba iſta priſcis fuerint tertii ordinis, ſed quia, ut dixi, A, E & I in Imperativis erant ancipites. Valer. Flaccus lib. 5. *Incumbens Odruſſa mero, vide lata comantem.* Martial. 3. epigr. 4.

Si quando veniet, dicet: reſponde Poëta
Exierat; veniet cum Citharadus erit.

Idem lib. 11. epigr. ult. *Lector ſalve: taces diſſimulaſque? vale.* Ita veteres membranæ. Vulgo *Solve.*

(*t*) *Vulgo putant* (ait idem Gifanius) *veteres in* Supernè *& ſimilibus adverbiis* E *ſemper produxiſſe. Hinc depravata ſunt loca plurima. Virgil.* 2. *Geor.* Flos apprime tenax. *Ita vetuſtiſſimus Codex. Vulgo* Apprima. *Horat.* Album mutor in alitem ſupernè. *Sic in vetuſtiſſimo Codice legi. Vulgo* Superna. *Lucret.* 6. Tecta ſupernè timent, metuunt infernè cavernas. *Idem lib.*4. Longè tamen parte ab ſumma cùm tota videtur. *Terent. Andr. act.* 1. *ſc.* 4. Sanè pol illa temulenta eſt mulier & temeraria. *Ubi* Sane pol, *eſt Dactylus.*

(*u*) *Ergo* ſemper *Cauſam* ſignificat, cum valeat idem, quod *Facto* vel *Opere*, ſitque Ablativus ab ἔργον: etſi uſus fecit particulam illativam, cùm ex eo quod dictum eſt, aliud infertur. *Deus eſt animus. Ergo pracipuè animo eſt colendus:* quaſi dicat, Hujus rei ergo, hanc ob rem, hac de re, id eſt, hac de cauſa. Corripitur verò O per Syſtolen, perinde ut in *Quomodo, Vigilando, Poſtremo, Cito, Sero*, quæ Ablativos eſſe Groſippus docuit. Martial. *Tu comes alterius, jam ſumus ergo pares*, hoc eſt, Illius rei cauſa. Monet enim Gifanius, errare Grammaticos, cum Adverbia in O putant omnia eſſe producta, ut *Serio, Crebro.*

(*x*) Non animadvertit Alvarus, T litera terminata priſcis tam longa fuiſſe, quàm brevia. Ennius,

Omnis

Omnis cura viris, uter esset Induperator.
Insit ô cives, quæ me fortuna fero sic.
It eques & plausam cava concutit ungula terram.

Livius Andron. *Cum socios nostros mandisset impiu' Cyclops.* Plaut. Merc. act. 4. sc. 2. *Solet hortator remiges hortarier.* ubi *Solet* Jambus est: quod haud intelligens Josephus Burdoscaliger, *Horitator* reponere conatus est. quo nomine merito vapulat in Scioppii Scaligero Hypobolimæo pag. 200. Terent. Heaut. act. 1. sc. 1. *Putavit me & ætate & benevolentia.*

Virgil. *Cum clamore Gyas revocabat ecce Cloanthum,*
Arduus effractoque illisit ora cerebro,
Multa Deos orans oneravit æthera votis,
Dum trepidant it hasta Tago per tempus utrumque.

Sic in veteribus libris ista legi testatur Gifanius.

Monuit me tamen Grosippus, revera nullam consonantem longam esse, cùm syllabæ longitudo, sit vocalis productio & quasi geminatio. Ergo, *Et* longum est quasi *Eet*, similiterque *It*, longum est *Iit*. Cum positio longam facit syllabam, id ait propter pronunciandi moram contingere, quam brevibus quoque vocalibus affert consonantium numerus. Ergo in *Est*, breve est *E*, non minus quàm in *Es*, sed duæ consonantes eam excipientes ipsam syllabam faciunt longam, cùm pronunciationem morentur: quod tamen non faciunt, quoties consonantium aliqua liquescit, ut in hoc Virgilii contingit, *Ponite spes sibi quisque viri.* Nam *S* liquida est, testibus veteribus Grammaticis.

(xx) *Hoc* semper breve est, teste Probo. Auctor liberi carminis, *Et vos hoc ipsum quod minamur invitat.* Plaut. Aul. *Nunc hoc ubi abscondam cogito solum locum.* Veteres tamen dicebant *Hocce* & *Hocc*, quod positione longum est.

(z) Negat Alvarus ullum sibi succurrere exem-

plum productæ ultimæ syllabæ in *Celtiber.* Grosippus hoc mihi ex Catullo subjecit, *Nunc Celtiber in Celtiberia terra.* Idem me monuit, in *Or* desinentia ancipiti apud veteres fuisse intervallo. Lucillius, *Languor oppressitque pigror, torporque quietis.* Ita Prudentius, *Quos lana terret discolor in stipite.*

(*y*) Verum est quod ait Alvarus, *M* non semper elidi solitum: sed fallitur, cùm in fine verborum semper corripi solere censet. Lucillii enim versus sunt, quos sic in membranis legi testis est Gifanius,

Praterea ut nostris animum attendere dictis
Huncne inquam Hyacintho hominem cortinipotentis
Deliciis contendi?

id est, Hunc ne parem putari Hyacintho ab Apolline adamato?

(*aa*) Quanta sit posterior in *Anas*, non docet Alvarus. Petronius corripit hoc phaleucio, *Aut pictis anas innovata pennis.* Itaque media in *Anatis* erit correpta, & secunda in *Anatinus*, qua voce Plautus Rudent. utitur, *Utinam fortuna nunc anatina uterer:* in quo versu hiatus est, nec *A* ante *U* eliditur.

(*bb*) Regulæ huic controversiam moverit, quod est apud Ovid. in Ariadnæ epistola,

Quis scit an hac savas insula tigres habet.

Sed ibi Grosippus *Tigras*, accusativum Græcum pluralem reponendum monuit, sicut *Lyncas* apud Horat. lib. 4. oda 6. *Lyncas & cervos cohibentis arcu.* Ultimam in *Ganymedes*, natura longam (nam in Græco est *η*, sive Ee) Poëta in Ithyphallicis corripuit, *Cui tradat Ganymedes ipse nectar.* Notavi etiam *Es* à *Sum* produci in Pedonis elegia ad Liviam, *Nata quod es alte, quod fatibus aucta duobus.*

(*cc*) Insignis Alvari alucinatio est, quod putat penultimam in *Stoicida* natura longam esse, quasi esset *Parricida*, *Homicida*, qui scilicet Stoam cædat: quod

quod prorsus est ridiculum. Rectè Britannicus monet esse fictam vocem instar Patronymicorum, ut *Priamidæ, Æneadæ, Romulidæ*, & ab Hirtaco *Hirtacides*, ab Æaco *Æacides*, quasi Stoæ filii, sive à Stoa profecti, hoc est, à Porticu, in qua Zeno Stoicæ sectæ pater docere fuit solitus. Simili modo Plautus *Rapacidas* finxit, quasi de Furum genere.

(*dd*) Nihil opus erat licentiam Poëticam comminisci, cùm syllabarum longarum correptio ad figuram Systolen, de qua infra, pertineat. Potestas quidlibet audendi, de qua loquitur Horatius, ad res ipsas, non ad verba, nec earum quantitatem spectat. Verba quippe valent ut nummi, adeoque vel à populo exsibilabantur qui verbis efferendis vel minimum peccarent.

(*ee*) Idem Catullus plerumque Glyconium à Choreo, rarius à Spondeo incipit, nonnumquam & à Jambo:

Dianæ sumus in fide
Puellæ & pueri integri,
Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.

Secundus quoque Sapphici pes apud Catullum Trochæus invenitur: ut,

Seu Sacas, sagittiferosque Parthos
Pauca nunciate meæ puellæ
Otium Catulle tibi molestum est.

Idem Catullus secundum Phaleucii locum Spondeo sæpe occupat, quod tamen est insuavissimum, nec Hendecasyllabi nomen admittit: ut,

Oramus si fortè non molestum est,
Puellas omnes amice prendi.
Tanto ten' fastu negas amice
Et multis languoribus peresus.

(*ff*) Viri docti *Quisque* legunt, non *Quisquis*: quo-

quomodo apud Ausonium, *Pareto legi quisque legem sanxeris*, pro Quicumque.

(*gg*) Syllaba natura longa est, quæ duo habet tempora, acsi vocalis esset geminata, ut *Maater, Feelix, Dedeerunt, Modoo, Quomodoo, Postremoo, Cantandoo, Exemplaare, Nee*, pro Non, *Putaa, Valee, Proopaago, Obiit* dissyllabon, *Lunit, Pluverat*, quæ pronunciabantur ita, ut U posterius ad primam syllabam pertineret *Luu---it, Pluu---erat.* Systole igitur est, cùm talis syllaba longa corripitur, id est, cùm vocalis non duobus temporibus, sed uno tantum effertur: quod Poëtas in multis fecisse deprehendimus, ut in *Dederunt, Modo, Quomodo, Cantando, Exemplar, Nefas* (quod contra est *Neefarius*) *Puta, Vale, Propago, Luit, Pluerat.* In *Abici* pro *Abjici*, similiter quidem Vocalis eliditur, sed syllaba tempus non mutat, cùm etiam in *Abjicit, Objicit*, brevis sit, etsi duo Ii constituant ibi diphthongum, cùm in *Obiit* dissyllabo tantum una longa sit litera.

Lucret. *Ipse Epicurus ob It decurso lumine vita.*

Juvenal. *Magnus civis ob It, & formidatus Othoni.*

Virgil. *Sceptra Palatini, sedemque pet It Evandri.*

Sic in Romano codice legi testis Pierius. nec aliter Paulus Gabianus in Cardinalis Carpensis exemplari Trajani temporibus scripto invenit: ut Erythræum nec Diis, nec viribus æquis cum literarum principe Politiano congressum miserari potius, quàm quicquam morari debeamus. Qua porrò ratione fiat, ut prima in *Iacit*, & media in *Abjicit*, sit diphthongus, nec tamen producatur, cùm unaquæque vocalis unum tempus in pronunciando consumat; cur etiam *Ab*, sequente diphthongo producatur; à Grosippo de Orthoëpeia pag. 163. expeditum invenies. *Postremo*, ultima brevi extulit Juvenalis sat. 11. *Et Scauros & Fabricios, postremo Severos:* cùm tamen sit *Postremo loco.* De *Modo* posteriore

ſteriore correpta, res eſt in vulgus nota. Terent. *Fac apud te ſis. PH. modo ut poſſim,* pro, Hoc modo, quo poſſim, ita ut poſſim, hac lege promitto me apud me futurum, ſi facere id poſſim: nam *Ut*, nihil eſt aliud, quàm *Quomodo*, ſeu *Quo pacto modo*, cui vel expreſſo vel ſuppreſſo reſpondere ſolet. Plaut. Capt. *Eodem pacto, ut Comici ſervi ſolent.* Et Bacchid. *Scin' quo pacto me ad te intro abducas? BA. mecum ut ſis.* Ergo *Abduc me ut tecum ſim*, concisè dictum eſt, pro Hoc pacto modo me abduc, quo pacto tecum ſim, ita me abduc, ut tecum ſim. Idem Milit. *Ita faciemus, ut quod vidit, non viderit.* Idem Bacchid. *Veniat miles ita ne mihi ſit mora*, pro Modo ne ſit, eo modo, quomodo ne ſit, ſive quomodo non ſit. Ubi perſpicuum eſt *Modo* eſſe poſitum pro *Eo modo*, *Ita* vel *Sic.* Plaut. Aſin. *Ætatem velim ſervire Libanum ut conveniam modo*, pro Hoc modo ſeu pacto aut lege ſervire velim, ut conveniam Libanum. Et quoniam *Modus* etiam Finem ſignificat,eo fit ut *Modo* pro *Tantum* accipiatur,quaſi ſit *Hac fine, Hactenus*, id eſt, non amplius. Sed de his Groſippus in Minerva pluribus exſequitur, qui Grammaticæ pag. 96. docuit *Quomodo* binas eſſe voces. Et tamen Horatius dixit, *Cum victore ſequor Mæcenas quomodo tecum.* Sic *Sero* habet O correptam per Syſtolem, cùm ſit *Sero tempore diei*, ex eoque producitur. Ovid. 2. Amor. eleg. 11. *Sero reſpicitur tellus ubi fune ſoluto.* Et *Cito* ellipticos dicitur pro Cito negotio: *Vero* pro Vero negotio, re vera,in re vera, ſicut Terent. Hec. *Mulieres falſo nobis ſuſpectas in re ipſa invenimus.* Ita & *Mutuo* valet Mutuo negotio, re mutua, in qua per vices negotium aliquod geritur: ut, *Amant ſe mutuo*, hoc eſt, Catullo interpretante, *Mutuis animus amant, amantur.* Ita qui pila datatim ludunt, mutuo pilam dant, mutuo accipiunt, id eſt, In vicem, ſeu Per vices, alius alia

vice,

vice, ut Accipere & Dare fit res mutua, quæ inter Datores & Factores mutuo seu vicibus geritur: ex quo planum fit, quanta eorum sit imperitia, qui *Pecuniam mutuo dare & sumere* dicunt pro *Mutuam.* Vide Grammat. pag. 101. Politissimi Antonii Goveani in Adelphos Terentii verba sunt, *Ablativos esse Primo, Verò, Cito, Sedulo, Mutuo, ultimisque correptis dici interim nemo nescit.*

(*hh*) Diastole est, cùm syllaba brevis producitur, quod fit, quando vocalis velut geminata effertur, ut duo habeat tempora: quod in vocibus macrosyllabis sæpius usuvenit, eo quod obscurius ex longitudine sit intervallum. Hinc I in *Canicula, Cuticula* & *Clavicula* producitur, etsi natura brevis sit. Horat. *Hic in reducta valle canicula.* quod contra Plautus corripit Curcul. act. 5. sc. 1. *Vix foras me abripui atque effugi. apage istanc caniculam.* Qui versus est Trochaicus tetrameter catalectus, habetque trybrachin ante catalexin. Pers. *assiduo curata cuticula Sole.* Cato in Ditis, *Dulci namque tumet nondum viticula Baccho.* Germanicus Cæsar in Aratæis,

Qualis ferrato sabigens clavicula dente
Succutit, & foribus reducit vincula claustri.

Ubi in *Re* est diastole, quod effertur ut *Ree*, adeoque nihil consonantem geminari attinet, etsi id in *Reddo* factum minimè ignoro.

Cæterum ex istis Alvari præceptis nequaquam constituere possis, adjectiva nomina in *Inus* exeuntia, I longa an correpta efferri debeant. Omnes quidem scholæ, etiam illorum qui soli scire divinitus, suamque docendi rationem aureo fune de cælo demissam videri postulant, hac personant regula, quæ ab animantibus deriventur, esse producta, ab inanimis autem brevia. Itaque *Onomastici Romani* auctor *Oleum Laurinum* I correpta pueros efferre docet, quia scilicet Laurus anima careat.

Ab

Ab eadem igitur ratione discipuli ejus I corripient in *Funginus*, *Collinus*, *Alpinus*, *Marinus*, multisque aliis res inanimas significantibus; producent autem in *Elephantinus*, ut scilicet elephanti corio qua magistri, qua discipuli circumtenti judicentur. Sed ut Grosippus censet, ejusdem prorsus est, tanti flagitii erroribus tirones imbuere, & barbaros scriptores, à quibus Latinè loqui discant, iisdem proponere, ut scilicet Onomastici illius emtores parvam caudam *Caudiculam* quàm *Caudulam* malint dicere, eodemque exemplo *Mensiculam*, *Penniculam*, *Barbiculam*, *Linguiculam*, mille alia uberis virgidemiæ minimè indigna. Quod si animum notæ istius doctores possent inducere, ne omnes alios præ se fænum esse oportere crederent, præcipuéque ne aliarum religiosarum sodalitatum homines ut indoctiores contemnerent an contererent, discere *Mamotrecto* monente poterant, nomina *Inus* in exitu habentia, si Græca sint, esse brevia, Latina vicissim longa. Itaque *Elephantinus*, *Faginus*, *Crystallinus*, *circinus*, *crocinus*, *amaracinus*, habent I correptam, cum sint Græca O in U conversa: *Laurinus* autem, *Funginus*, *Collinus*, *Ostrinus*, habent I productam, cum à nominibus Latinis sint derivata. Ab *Uncus*, quod natura adjectivum est, in quo *Clavus* vel *Hamus* subauditur, fit *Uncinus*, I brevi, cum sit Græcum: qua voce Vitruvius utitur lib. 5. cap. 10. Ab adverbiis Latinis derivatorum alia est ratio, ut *Vespertinus*, *Clandestinus*, *Crastinus*, *Serotinus*: nam *Matutinus* esse à nomine *Matuta*, nemini potest esse dubium.

FRAN-

FRANCISCO ET CAROLO LOTERIIS,

ROMANIS JURISCONSULTIS, MARIANGELUS A FANO BENEDICTI S. P. D.

X.

JAM ſeptimus hic annus agitur, cum Roma huc reverſi nobiles viri Senator & Antonius Septalii, Ludovici filii, admiranda quædam de ingeniorum veſtrorum felicitate retulerunt: Vos nimirum nonniſi XI. & XII. annos natos totum Civile Jus jam perdidiciſſe, & in Sacrorum Canonum ſtudio feliciter verſari, Virgilii vero Poëmata omnia tamquam ungues digitoſque veſtros nota habere, in iiſque recitandis ne unam quidem peccare ſyllabam; quodque admirationem auxit, ne abditiſſima quidem ſummi Vatis myſteria vos effugere, ut ea vel iis, qui noſtra ætate in Poëtarum primis cenſentur, explanare poſſitis. Venit poſtea in urbem hanc Groſippus, qui mihi & literas à vobis ad ſe datas oſtendit, & vos quarto & tertio decimo ætatis anno in Romani Athenæi Academia publicè magna cum omnium acclamatione plauſuque Juris utriuſque Conſulti titulo affectos eſſe, ac nunc Philoſophiæ operari, ſimul tamen virorum optimo patri veſtro in reſpondendo de Jure cauſiſque clientium dirigendis ſubſervire, laboremque minuere, nunciavit. Iſta me impellunt, ut inter eos, qui vos amant, ac velut Italiæ noſtræ ornamenta mirantur, nomen meum profitear, meque mutuo à vobis amari expetam. Quod ut minore negotio

negotio à vobis obtineam, muneri vobis mitto, quæ nuper Grosippus meo rogatu de ratione dimetiendi versus Comicos, commentatus est: quem quoniam à vobis patris vestri exemplo coli ac magnopere diligi scio, istam ejus lucubratiunculam multo vobis gratissimam fore merito mihi persuadeo. Valete.

PASCASII GROSIPPI

De Versibus Comicis.

Versus Comicorum alii sunt
- *Jambici, quorum pedes sunt*
  - *Jambus* v -
  - *Spondæus* - -
  - *Tribrachys* v v v
  - *Dactylus* - v v
  - *Anapæstus* v v -
  - *Proceleusmaticus* v v v v
- *Trochaici, quorum pedes sunt*
  - *Trochæus seu choreus* - v
  - *Spondæus* - -
  - *Tribrachys* v v v
  - *Dactylus* - v v
  - *Anapæstus* v v -
  - *Proceleusmaticus* v v v v
- *Confusi, συγκεχυμένα μέτρα, in quibus Jambus, Trochæus aliique pedes ponuntur promiscuè.*

Cic. in Oratore, *Comicorum Senarii propter similitudinem sermonis sic sæpe sunt abjecti, ut non numquam in his vix numerus & versus intelligi possit.*

JAMBICI.

Versus Jambicus est vel

Monometer, duobus constans pedibus: ut, Optime odio es - v v / v - Pessima mane - v v/ v - Abite vos v - /v -

Dimeter, quatuor constans pedibus, isque vel

Acatalectus seu plenus, cui nihil deest: ut, Lucana mutet pascua v- / v- / -- / v- Verebar quorsum evaderet v-/ - -/- - /v-

Catalecticus, cui in fine deest syllaba: ut, Quem nemo vidit umquam --/ v- / v- /-

Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abundat: ut, Ornare pulvinar deorum --/v-/--/v-/v

Brachycatalecticus, cui pes in fine deest: ut, Ita peregre adveniens vvv/ v-/ vv-

Trimeter seu Senarius, sex constans pedibus, isque vel

Acatalectus seu plenus: ut, Poëta cum primum animum ad scribendum appulit v- / v- / -vv/ --/ --/ v- Beatus ille qui procul negotiis v-/ v-/ v-/ v-/ v-/ v-

Catalecticus, cui in fine deest syllaba: ut, Trahuntque siccas machinæ carinas v-/ v-/ --/ v-/ v-/ -

Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abundat: Ut demonstratæ sunt, hasce ædes esse oportet --/ --/ --/ --/ --/ v-/ v *Aliter vocatur Saturnius.* Dabunt malum Metelli Nævio poëtæ v-/ v-/ v-/ --/ v-/ v-/ -

Brachycatalecticus, cui pes in fine deest. Opulento homini hoc magis

gis servitus dura est *vv- / vv- / vv- / v- / --*
In Magis, *S eliditur.* Nonne idem hoc lucis me mittere potuit *-- / -- / -- / -vv / vv -*
Scazon seu Claudus, qui in ultima sede pro Jambo habet spondæum. Miser Catulle desinas ineptire *v- / v- / v- / v- / v- / --* Quapropter edulcare convenit vitam *-- / v- / -- / v- / v- / --*
Acatalectus seu plenus. Nil est triumpho, si licet me latere tecto abscedere *-- / v- / -- / v- / -vv / v- / -- / v-* Istuc tibi ex sententia tua obtigisse gaudeo.

Tetrameter seu Quadratus vel Octonarius, octo constans pedibus, isque vel
Catalecticus seu Septenarius, vel Hipponacteus, cui in fine deest syllaba. Deprensa navis in mari vesaniente vento *-- / v- / v- / v- / -- / v- / v- / -* Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt *vv- / v- / -- / v- / v- / -- / -- / - S, in* Satis *eliditur.* Istuc tibi ex sententia tua obtigisse lætor.
Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abundat. Atque ejus amicam subagitare vel heri in vino quo immodestus *-- / vv- / -vv / v- / vvv / -- / --vv- / -* Deprensa navis in mari vesaniente Apeliota.

Septenarius, septem constans pedibus apud Plautum sapius, rarò apud Terentium invenitur.

TROCHAICI.

Versus Trochaicus est vel

- *Monometer, duobus constans pedibus, isque vel*
  - *Acatalectus seu plenus, cui nihil deest: ut*, Vapulabis - v / - v
  - *Catalecticus, cui in fine deest syllaba: ut*, Occidi - v / -
  - *Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abundat: ut*, Vapulabitis -v/-v/-
- *Dimeter, quatuor constans pedibus, isque vel*
  - *Acatalectus seu plenus: ut*, Cras amet, quod numquam amabit -v/ --/ -v/ -v
  - *Catalecticus, cui in fine deest syllaba: ut*, Proh Deum atque hominum fidem -v / -vv / -v / -
  - *Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abundat: ut*, Qui te ad scopulum è tranquillo inferat--/vv-/--/-v/-
- *Trimeter seu Senarius, sex constans pedibus, isque vel*
  - *Acatalectus seu plenus: ut*, Ad fores auscultate atque asservate ædes -v/ --/ --/ --/ --/ -v
  - *Catalecticus, cui in fine deest syllaba: ut*, Nonne idem hoc lucis me mittere potuit --/--/--/-v/vvv/-
  - *Hypercatalecticus; qui syllaba in fine abundat: ut*, Qui mihi ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes -v/ vv-/ --/ --/ --/ -vv-
- *Tetrameter seu Quadratus,*
  - *Acatalectus seu plenus: ut*, Adeon' hominem esse invenustum aut infelicem quemquam,ut ego sum? vv- / vv- / -v/ --/ --/ --/ -vv/ -v
  - *Catalecticus,cui in fine deest syllaba: ut*, Proh Deum atque hominum fidem, quod si fit, pereo funditus-v/-vv/-v/--/--/vv-/-v/-

Sic

octo constans pedibus, est vel Sic Amyclas cum tacerent perdidit silentium -v/ - -/ -v/ - -/ -v/ -v / -v / -
Hypercatalecticus, qui syllaba in fine abundat: ut, Tu fortasse quid me fiat parvipendis, dum illi consulas - -/ -v/ - -/ - -/ - -/ - -/ - -/-v/-

Admonitio de Dimensione, seu scansione versuum Comicorum.

I. IN eadem scena modo Jambici, modo Trochaici, & utrique modo longi, modo breves inveniuntur.

II. Sæpe syllaba prima versus ad finem præcedentis, & ultima ad principium sequentis pertinet.

III. Sæpe vocales longas uno tempore per Systolen, breves duobus temporibus per Ectasin vel Diastolen extulerunt. *Abi* v v *Imo* v - *Animo* vvv *Phormio* vvv *Fuit* -v *Fieri* -v- *Reduco* - -v

IV. Sæpe vocales, vel diviserunt per Diæresin, vel contraxerunt per Synæresin aut Synalephen. *Jam* vv *Qui* v- *Hospitae* -v - - *Phaëton* - - *Nihil*-*Rei*-*Hujus* - *Ait* - *Meos* - *Fiat* - *Potius* v v *Adeon* v v *Puero* v - *Proinde* - v *Duorum* - v *Ambiens* - - *Legiones* - - - *Histriones* - - - *Ajebas* vel *Aibas* - - *Hodie* v v

V. Sæpe per Ecthlipsin literas & syllabas extriverunt, sive literæ consonantes essent, sive vocales, & hæ tam longæ, quàm breves; idque vel in medio vocum per Syncopen, vel in finibus per Apocopen. Ita Cicero pro *Postmarium, Postmeridianus* efferebat *Posmarium, Posmeridianus*, & alii extrita etiam S, *Pomàrium, Pomeridianus.* *Axilla, Vexillum* efferebant *Ala, Velum* fuga literæ vastioris, ut ait Cicero, qui etiam testatur pro Vasis argen-

argenteis dici solitum *Vasargenteis*, pro Virorum *Virum*, pro Testis fractis *Testifractis*, pro Si vultis, *Sultis*, pro Si vis *Sis*, V extrita, pro Si audes *Saudes* vel *Sodes*, pro Cape si vis, *Capsis*, in quo tamen Cicero fallitur. Sed *Faesis*, certum est dici solitum pro Face si vis, & pro Cedite *Cette*, pro Surripere, Surrigere, Porrigere, *Surpere, Surgere, Porgere*, pro Evasisti *Evasti*, pro Vixisset *Vixet*, pro Irritavit *Irritat*, pro Decreverat, *Decrerat*, pro Scire licet *Scilicet*, pro Ire licet *Ilicet*, pro Calidior *Caldior*, pro Valide *Valde*, pro Populo *Poplo*, sicut *Poplicus* & inde *Publicus*, pro Admisisse *Admisse*, pro Lamina *Lamna*; pro Eveniat *Evenat*, pro Applicat *Aplicat* prima brevi, quia A in Ad natura brevis est: quomodo etiam *Invidus*, *Convenit*, primam correptam habent propter elisionem literæ *N*, quæ elisio aperta est in *Coëo*, & in *Copis*, quasi Coopis, unde Copia; sicut Inopis, inops, inopia: pro Dives *Dis*, pro Divinæ *Ditia*, pro Videsne *Viden*, Vultisne *Vultin*, Aisne *Ain*, pro Tamen *Tame* & *Tam* teste Festo, pro Obmitto *Omitto*, extrito M, quod ex B factum fuerat, pro Juvit *Iuit* sive *Iu-it*, extrita V. Ista omnia satis veterum auctorum testimonio certa sunt, adeoque nemini jam durum aut insolens videri debet, homines doctissimos in dimetiendis versibus Comicis nullam eorum, quæ Grammatici præcipiunt, rationem ducere: qualia sunt *Audivi* - - nempe V elisa & duobus I coalescentibus *Reicio vvvv* & *Reicio -vv Senex* - quasi Snex, & *Senectus* - - E elisa, sicut in *Fenstra* pro Fenestra, & in *Liberius -vv Argumentum - -v* V extrita, *Fateor vv Confiteor v v* elisa E. *Audivere - - v* quasi Audiere vel Aud-iere, *Viden'tu vv-* elisa N; sicut etiam in isto, *Hera in crimen vv-v* & *Tamen vix vv-* quasi esset Tame vix. *Ne hoc quidem tacebit - vv / v - v* extrita

extrita M, ficut etiam in *Omnes v- Nempe v v Enimvero vv- - Nam quid ego -vv* D elifa, ficut & ibi: *Quod ego te vv-* quafi effet Qu-ego te. Ita *Sed quid hoc- -*quafi effet Sed quoc. Et *Sed eccum- -* pro Seccum, *Ædepol -v* quafi effet Æpol, ficut *Æcaftor quidem v* quafi effet prius Quiem poft Quem. Ita B, & vocalis exteritur in *Nobis*-quafi effet Nois & Nis, *Tibi, fibi v* quafi Tiifii & poftea Ti, Si. Et *Abi* - quafi Ai. L fæpe eliditur in *Ille*, quafi effet Ile, priore correpta, quomodo veteres *Oli* pro Illi dicebant. Ita eliditur in *Simul cum vv-* Idipfum literæ R & S, five confonans, five vocalis fequatur, ufuvenit. *Mifer quod v v - Par referre v v - v Soror dicta vv-v Eft v Ifte v v Oftendo v-v Effe v v Nimifquam v v Tu abis ab illa v v - -* quafi effet Tababilla. Sic *Melius eft v-* quafi Meluft. *Commoditates in hac re -v/-v/- -* elifa prius S; poftea E. Eliditur etiam P in *Voluptas* una cum V, cùm fit à *Volupis*, id eft, jucundus, quafi Volupitas. Sic in *Ineptus v v v* cum *Aptus* fit factum ex Apitus ab *Apere* verbo prifco, quod fignificat Nectere, jungere, unde *Apex*. Etiam T elidi folet, ut *Dabit nemo v v - v Tacet cur v v - Venit nunc vv-* In *Nemine ego -vv* fit ecthlipfis duplex, quafi effet Nemnego: fic *Idem mihi - v v* quafi effet Iem mihi.

VI. Sæpe literas interpofuerunt, ut vocalium concurfum five hiatum effugerent: ut, *Mederga* pro Me erga, *Antideo* pro Anteeo, *Antidhac* pro Antehac. Etiam *Calim* pro Clam, tefte Fefto dicebant. In Plauto eft *Perdeam* pro Peream.

VII. Sæpe hiatum vocalium admiferunt: ut, *Quomodo hinc abeam nefcio -v/ - -/ vv-/ -v/-* ubi poftrema vocalis in *Modo* non eliditur. Sic *Abi hinc in malam crucem*, non eliditur I in *Abi*. *Hecyra eft huic nomen fabulæ. hæc cum data eft.* non exteritur

tur Ae, in Fabulæ. *Ille opere foris Faciundo lassus noctu advenit.* Nec E in *Ille*, nec V in *Noctu* eliditur, ut sit Trochaicus tetrameter catalecticus.

VIII. Sæpe M non exteritur sequente vocali, & modo producitur, modo corripitur: ut, *Officium hoc viri nequaquam est boni -vv / - - / v - / - - / v - / v -*

IX. Interjectiones *Heu, O, Papa, Au, St,* & similes animi motum exprimentes sæpe Actoris sunt, non Poëtæ, adeoque ad versum non pertinent, ut monet Victor. lib. 2. de metris. Illustre rei hujus exemplum est in Plauti Mostel. act. 3. sc. 2.

Ibo intro igitur. TR. mane sis, videam ne canis. TH. agendum vide.

TR. Est. TH. ubi canis est? TR. abi directa, abin hinc in malam crucem?

At etiam restas? abi istinc. SI. nihil pericli est, age.

Aldi editio partim, & alii Codices habent, *Abi directa est.* Et mox, *At etiam restas? Est? abi istinc.* Sed nihil est dubii, quin pro *Est* ubique legendum sit *St.* & *Abi* pro *Ubi.*

Hoc modo,

St, abi canis, st abi directa, st abin hinc in malam crucem.

At etiam restas? St abi istinc. SI. nihil periculi est, age.

Sunt versus Trochaici tetrametri catalectici, ad quos tamen interjectio *St*, præterquam primo loco, non pertinet.

FINIS.




GASPARIS SCIOPPII

Comitis à Claravalle

CONSULTATIONES

De Scholarum & Studiorum ratione,

Deque Prudentiæ & Eloquentiæ parandæ modis.



AMSTELODAMI,

Apud JUDOCUM PLUYMER Bibliopolam, propter Aquam, ſub ſigno Senecæ, 1665.

Illustriss. Marchioni

D^N. TRAJANO GUISCARDO,

Magno Montisferrati Cancellario,

GASPAR SCIOPPIUS S. D.

JAm multi sunt anni, quod à compluribus amicorum rogatus de constituendis Scholis, deque ratione literas compendio docendi ac discendi nonnulla commentatus sum, nihil minus cogitans, quam ut ea in vulgus ederentur. Sed posteaquam multi in Italia & Germania summates viri ea legerunt ac probarunt, inque necessariorum suorum usus describenda censuerunt, nonnulli etiam adolescentes consilio meo usi tantos brevi tempore in literis progressus fecerunt, ut omnibus admirationi essent: cujus rei specimen cernere est in Leonardo Pappo, Constantiensi Canonico & Austriæ domus Consiliario, in Octavio Ferrario, clarissimo ac disertissimo politiorum literarum in Patavino Athenæo doctore, & in Mariangelo à Fano Benedicti, omnibus animi & ingenii dotibus ornatissimo: quin ea prælo subjicerem typisque descripta exire paterer, amicis ita contendentibus negare non potui. Visum autem mihi fuit, libellum tuo nomine præscriptum emittere, cum te non minus de literis rectè judicandi facultate præditum, quam in obeundis Principum legationibus, inque Repub.

administranda majorem vitæ partem cum laude versatum, nec minus eo nomine, quam ob patriam proximis annis tua potissimum fide, prudentia & consilio conservatam, Serenissimo Principi ac Patrono nostro Mantuano Duci acceptissimum esse compererim. Quo accedit, quod tuæ erga me benevolentiæ non semel rebus ipsis spectatæ memoris gratæque voluntatis professionem debere me saltem tantisper censui, dum aliquid cum multiplici virtute tua, tum amicitiâ nostra, meaque erga te observantiâ dignius ad te mitto. Cujus rei sponsorem satis, opinor, locupletem admittes Paulum Bombinum nostrum, virum inter præcipua ætatis nostræ ornamenta numerandum, cum quo mihi colendi tui certamen est. Tu, Vir Illustrissime, pro humanitate tua munusculum hoc interea boni consulas rogo, utque diu salvus sospesque sis, ex animo voveo. Kal. Jul. Anni M.DC. XXXVI.

DE

DE CONSULTATIONUM

harum Utilitatibus Judicium.

VIdimus, ac legimus has de ſcholarum, ac ſtudiorum ratione Conſultationes: in quibus nos Viri Clariſſimi judicium tanta nominis ejus celebritate digniſſimum, magnopere oblectavit. Unde etiam ſpes fore, ut Principes, & ſacrorum proceres, quorum fidei ac tutelæ divinarum & humanarum literarum ſtudia commiſſa ſunt, tantam ſcientiis ac diſciplinis obortam lucem gaudeant, neque iſtam de humano genere bene merendi occaſionem neglecturi ſint: Namque aucto in immenſum ſcribendi docendique ſtudio, librorumque numero ac mole mutuò ſe prementium nova ſubinde ſobole exoriente, & præcipiti temporis fuga, cujus ſtolidè prodigi ſumus, magna ſtudiorum pars eſt, recta ſtudendi ratio. Niſi ergo omnia nos fallunt, ſi ad rem conferantur, quæ Scioppius conſulit, incredibili temporis, laborum, & impenſarum compendio literarum humaniorum & Philoſophiæ ſpatia adoleſcentes decurrent, & ad publicas quarumcumque diſciplinarum Acroaſes multò paratiores accedent, longeque majus in ſcientiis illis breviore tempore perdiſcendis operæ pretium facient. Claſſicarum certè Scholarum Magiſtris magnopere ex uſu futurum cenſemus, quod indicium eis ſit librorum, quorum lectione & ipſi proficiant, & auditoribus facilius & compendioſius præcipere queant. Itaque hoc nomine ætati huic gratulandum arbitramur: cujus judicii noſtri hoc publicum extare teſtimonium volumus. Patavii, Kal. Jul. Anno M. DC. XXXVI.

Bartholomæus Vecchius Senenſis, J. U. D. Patavii Profeſſor juris civilis primar.

Alexander Syncliticus, J. C. & Anteceſſor Patavinus.

Octavius Ferrarius, Theologus, & Oratoriæ artis Græcarumque literarum Interpres primus.

PÆDIA ELOQUENTIÆ

Compendio contracta.

ELoquentia est facultas animi sensa variis linguis efferendi, sive id voce, sive scripto fiat.

Ejus parandæ adjumenta sive media sunt tria, Disciplina, Usus, & Ordo in utroque.

Disciplina est cognitio eorum, quæ eloquentiam conficiunt: quorum alia sunt substructionis seu fundamenti, alia exstructionis sive operis.

Substructio partim est communior, partim eloquentiæ magis propria.

Communior substructio est partim Intelligentia linguarum sine ullis regulis; partim Præceptio regularum ad etymologiam & syntaxin pertinentium. Utraque res Logicæ & Rhetoricæ communiter substruitur.

Propria eloquentiæ substructio est præceptio Logica de Argumentorum generibus & locis, deque Argumentationum formis: quæ nisi prius cognita habeantur, plurima Rhetoricæ artis præcepta de Inventione, Dispositione & Elocutione longè difficilius & tardius discuntur.

Exstructio est ars Rhetorica, sive systema aut constitutio præceptorum de inventione, dispositione & elocutione.

Usus, sive loquendi scribendique Exercitatio est partim secundùm Artem, partim secundùm Artificem.

Exercitatio secundùm Artem est vel Analysis, vel Genesis.

Analysis est alieni operis cum Logicis & Rhetoricis præceptis comparatio.

Genesis

Genesis est novi operis secundùm Logicæ & Rhetoricæ præcepta effectio.

Exercitatio secundùm Artificem est imitatio ejus, quem quis vel legit, vel audit.

Ordo est eorum quæ discuntur & exercentur in sua tempora divisio, ut ea scilicet præmittantur, sine quibus Eloquentiam majore laboris & temporis impensâ parari necesse est.

Ordo parandæ Eloquentiæ Latinæ.

Primo Studii anno.

OMnium primum est, ut discantur Declinationum & Conjugationum Paradigmata, quæ in *Mercurio* nostro *bilingui* Mediolani edito continentur: quod vel uno, aut summum duobus mensibus fieri potest..

Proximum, ut linguæ Latinæ intelligentia paretur memoriæ mandandis mille ac ducentis sententiis in eodem Mercurio bilingui comprehensis, unà cum *Conjugatis*, sive primitivis, derivativis, simplicibus & compositis eorum nominum & verborum, quæ in iisdem sententiis includuntur. quod quidem mediocri ingenio præditi octo vel novem mensium studio facilè consequentur.

Tertium, ut primi anni postremi duo menses consumantur memoriâ complectendis etymologiæ & syntaxeos præceptis, quæ *Rudimenta Grammatica* nostræ *Philosophica* exhibent: quæ sunt 140. versus Hexametri (quibus Regulæ & Exceptiones de Nominum generibus & casibus continentur) tum quindecim Regulæ de tota syntaxi unà cum Figuris, seu figurata vel irregulari syntaxi.

Secundo Studii anno.

QUartum, ut studiosi exerceantur partim secundum Artis præcepta, quæ jam didicerunt, partim secundum Artificum exempla, quæ legendo cognoscunt. Magister enim eis prælegeт atque explanabit hoc anno faciliores Ciceronis epistolas, Cornelii Nepotis sive Æmylii Probi vitas, Terentii comœdias, Phædri fabulas, Ovidii libros Tristium & de Ponto: ipsi verò quotidie aliquid ex sermone vernaculo Latinè convertent, quod Magister legat & corrigat, indicando scilicet, si quid invenerit sive cum Regulis etymologiæ aut syntaxis minimè congruens (quod genus sermonis vitia Barbarismus & Solœcismus vocantur) sive à Ciceronis, Cæsaris, Nepotis, Livii, Plauti & Terentii consuetudine alienum, quod *Insolentia* vitium est, cujus genera sunt Archaismus, Neoterismus & Idiotismus vel Peregrinitas, de quibus *Propædia* nostra *Rhetorica* videri potest.

Tertio Studii anno.

QUintum, ut ex *Propædia* nostra *Logica* discant studiosi genera Argumentorum, Prædicamenta, Propositionum definitiones & divisiones, Argumentationis species Syllogismum, Enthymema, Inductionem, Soriten, Dilemma, cum Syllogismorum figuris, modis & affectionibus: quibus omnibus discendis tres menses mediocri ingenio satis esse experimento est cognitum, quoniam nullus hic scholasticarum Quæstionum usus est.

Sextum, ut ex *Propædia* nostra *Rhetorica* sex mensibus Inventionis, Dispositionis & Elocutionis præcepta memoriæ mandent: quo tempore simul

ſimul verſus *Alvari de Proſodia* ſeu ſyllabarum quantitate, unà cum *Annotationibus Mariangeli à Fano Benedicti* eis prælegi & explanari poſſunt, ſimiliterque libri aliquot Virgilianæ Æneidos, aut epiſtolæ Horatii.

Septimum, ut poſtremo trimeſtri ſex hebdomadæ impendantur noſtro *Pervigiliò bonæ mentis*, ſive Introductioni in Philoſophiam Moralem: unde diſcent, quid & quot generum ſint Affectus, ſive animi perturbationes, quid Virtutes, eiſque oppoſita Vitia.

Octavum, ut aliæ ſex hebdomadæ impendantur *Introductioni in Phyſicam*, quam Peripateticorum princeps Petrus Johannes Nugneſius Hiſpanus edidit. Toto autem anno diſcipuli quotidie ſtylum exercebunt, Magiſtro ea quæ ſinguli ſcripſerint ad Grammaticæ & Rhetoricæ præcepta, ſedulò exigente.

Quarto Studii anno.

NOnum, ut priore ſemeſtri exerceantur partim in *Geneſi* ſecundum Artem Grammaticam & Rhetoricam, componendo epiſtolas, oratiunculas & carmina, ſi tamen non ſint abhorrentia & abſurda ad Poëticam ingenia; partim in *Analyſi*, ſive in reſolvendis Ciceronis orationibus & epiſtolis, in Livianis concionibus, in Odis Horatii, Elegiis Propertii, Tibulli & Ovidii: ut ſcilicet obſervetur, quo modo iſti magni artifices inventionis, diſpoſitionis & elocutionis oratoriæ ac poëticæ præcepta cuſtodierint, ut eorum exemplum ſtudioſi poſtea in Geneſi, ſeu componendis novis operibus imitari poſſint.

Decimum, ut poſteriore ſemeſtri exerceantur in *Geneſi ſecundum artem & artificem*, id eſt, ut ali-

quid novi operis, epiſtolam puta, narrationem, orationem, elegiam, epos, ſatyram, odam, epigramma, aut quid aliud componant, quod à Magiſtro corrigatur, ita ſcilicet ut moneantur de vitiis non tantum *Sermonis*, quæ artis regulis, aut bene loquentium conſuetudini adverſantur (qualia eſſe diximus Barbariſmum, Solœciſmum, Archaiſmum, Neoteriſmum & Idiotiſmum) ſed etiam oratoriæ *Dictionis*, quæ ſunt Plebitas, ſeu Vilitas, ſive Sordes, *κοινισμὸς*, ſive oratio verſicoloria aut multiformis & inæqualis, ſimiliterque oratio nullis Troporum & Figurarum luminibus diſtincta, exilis, attenuata & exſucca, parum bene collocata, malè juncta, minus numeroſa, & jejuna, ſive inops ſine verborum varietate & copia: de quibus vitiis ſatis multa in *Propædia Rhetorica* diximus. quæ vitia qui cavere ac virtutibus mutare noverit, ſtylo quotidie per omnem vitam exercendo, conſummare Eloquentiam, ſive ad ſummum perducere poterit. Ut enim ait Cicero, *Caput eſt quam plurimum ſcribere. Stylus quippe optimus & præſtantiſſimus eſt dicendi effector ac magiſter.* Sin autem quotidianum ſcribendi aut loquendi exercitium iſta ſermonis & dictionis vitia non excludat, evitari non poteſt, quin oratio fluat lutulenta, nec puncta doctorum auferat, velut hac altera ejuſdem Ciceronis ſententiâ docemur:

Perverſè dicere homines, perverſè dicendo facillimè conſequuntur.

PÆDIA

PÆDIA PRUDENTIÆ
compendio contracta.

PRudentia est rectè vivendi & imperandi scientia. Estque vel Moralis, vel Civilis. Moralis, sive Ethica, est scientia rectè vivendi.

Civilis, seu Politica, est scientia rectè imperandi.

Prudentiæ parandæ adjumenta sive media sunt tria, Disciplina, Usus, & Ordo in utroque.

Disciplina est cognitio eorum, quæ Prudentiam conficiunt: quæ sunt cùm Materia sive Objectum, id est, res discendæ, tum Modi, quorum in discendo usus est.

Materia disciplinæ alia est princeps, alia administra principi subserviens.

Materia princeps sunt cùm Regulæ, tum Exempla vivendi & imperandi.

Regulæ sunt decreta & præcepta Ethica & Politica. quid autem Decreta præceptis intersint, in *Elementis Philosophiæ Stoicæ* Moguntiæ editis declaravimus.

Exempla sunt cùm præterita, quæ in libris leguntur; tum præsentia, quæ in vita agenda videntur.

Materia administra est Geographia, Chronologia, & Genealogia, de quibus dictum in prima Consultatione.

Modi disciplinæ sunt Lectio, Auditio seu Conversatio, & Peregrinatio.

Usus est partim obnoxius, partim liber & voluntarius.

Obnoxius paret vel Docentibus, cum quis vivit

vit aut imperat secundum consilia & monita aliorum prudentium: vel Imperantibus, cum quis eorum excipit imperium, & jussa exsequitur.

Liber est, cum quis suæ spontis est, suoque modo vivendi & imperandi regulas & exempla ad rem confert, sive opere ipso exsequitur.

Ordo est præmissio eorum, sine quibus alia ad prudentiam idonea tardius aut difficilius addiscuntur.

Ordo parandæ Prudentiæ.

OMnium primum est, ut quis doceri & imperari assuescat, hoc est, ut consuetudinem ducat ea faciendi, quæ rectè vivendi & imperandi disciplinæ sunt consentanea. Nam sine tali consuetudine nec regulas facilè intelliget, nec in iis, quæ regulis & exemplis facere doctus fuerit, exerceri animum inducet.

Proximum est, ut vivendi & imperandi regulas Magistris audiendis & libris legendis addiscat. Quales verò libri eam ad rem usui esse possint, in prima Consultatione distinctius exposui.

Tertium, ut præterita vivendi & imperandi exempla ex variorum populorum Historiis cognoscat, semper agendi consilia & eventa cum Regulis conferendo, ut nempe consideret, quo quidque consilio actum fuerit, quaque de causa eventus consilio æquè aut minùs responderit. Nam sine tali examine Historiarum lectio voluptatis quidem habet non minimum, ad prudentiam tamen non multò plus nihilo conferre solet.

Quartum, ut peregrinabundus variorum populorum vivendi & imperandi morem videndo & audiendo, sive conversando, addiscat. De generibus verò & utilitatibus Conversationis in prima Consultatione uberius disserui.

Quin-

Quintum, ut sive sibi vivens, sive Principi aut Patriæ in muneribus obeundis inserviens quæ facienda didicit, ad rem conferre studeat.

De Prudentiæ causis & effectis Ecclesiastic. cap. 39.

SApientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens (*id est, Philosophorum libros ethicos & politicos*) & in Prophetis vacabit (*id est, in sacris literis.*) Narrationem virorum nominatorum conservabit (*libros Historicos*) & in versutias parabolarum simul introibit: occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur (*quales Salomonis libris continentur.*) In medio Magnatum ministrabit, & in conspectu Præsidis apparebit (*muneribus publicis fungetur.*) In terram alienigenarum gentium pertransiet. Bona enim & mala in hominibus tentabit (*peregrinatione bona & mala populorum instituta cognoscet.*) Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit eum, spiritu intelligentiæ replebit illum (*Vult autem sive amat Deus Sapientiam discere aventes.* Qui diligunt illam, eos diligit Deus, *Eccl.* 4. *Exemplo est Salomo, ad quem Dei verba sunt* 3. *Reg.* 3. Quia non petiisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi Sapientiam ad discernendum judicium, ut populum judicare possis: ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens; sed & hæc quæ non postulasti, dedi tibi, divitias scilicet & gloriam.) Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriabitur (*sive gloriosus erit, & celebris docendo prudentiam Legis divinæ*

divinæ studio partam.) Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in sæculum non delebitur. Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enunciabit Ecclesia.

CONSULTATIO PRIMA

De Studiorum ratione;

Ad nobilem & ornatissimum adolescentem Mariangelum à Fano Benedicti Patricium Mediolanensem.

QUicquid de Studiorum tuorum ratione afferri potest, vel ad Finem pertinet, qui tibi propositus esse debet, vel ad Instrumenta, sive Adjumenta (vulgo Media) quæ ut fine proposito potiri possis, sunt necessaria.

Finis vel ultimus est, vel medius, seu subordinatus.

Ultimus finis tuus esse debet gloria Dei creatoris, redemtoris & sanctificatoris tui, ut is scilicet in te, per te, & propter te glorificetur.

Medius finis tuus primarius est felicitas vitæ futuræ, consistens in visione & fruitione Dei: & vitæ præsentis partim Contemplationi, partim Actioni deditæ. Secundarius finis est honorum & opum mediocritas, ac tandem cum dignitate otium.

Media horum finium potiundi sunt Eloquentia, Prudentia & Sapientia.

Eloquentia est facultas animi sensa explicandi cùm sermone, tum scripto in linguis compluribus:

bus; quarum aliæ neceſſariæ ſunt ad eruditionem, ut Græca; aliæ ad uſum ſeu commercium, ut Hetruſca, Gallica, Hiſpanica, Germanica & Sclavonica; aliæ ad utrumque, id eſt, ad eruditionem & commercium, ut Latina.

Prudentia eſt notitia cùm ejus quod juſtum eſt, ut eſt ſcientia Juris Civilis & Canonici: tum ejus quod eſt utile imperio aut regimini, ut eſt ſcientia Civilis, cujus partes ſunt Ethica & Politica: Adminiſtræ verò ſunt Chronologia, & Genealogia. Chronologia, ut quis ſciat, quæ quibus ſæculis primaria orbis Imperia ab orbe condito, aut poſt diluvium fuerint, quamque diu ſingula perduraverint. quam ad rem uſui eſt Turſellini Epitome hiſtoriarum, pereleganti ſtylo ſcripta, ut facilè politiſſimi Mureti diſcipulum agnoſcas. Geographia, ut quis ſciat, quæ orbis partes, quaque in parte præcipua regna ſita ſint. cui rei uſui eſt Atlas major & minor Mercatoris. Genealogia, ut quis ſciat, quæ præcipuæ Regum ac Principum familiæ hodie ſint, & prioribus ſæculis fuerint. Hac de re extant volumina Henningis, Reuſneri, Panvinii, Ammirati, Miræi, Quercetani, aliorum.

Sapientia eſt vel divina, quæ niſi Deo revelante nemini contingit, de Dei natura & operibus: vel humana, ſive humano ſtudio parabilis, de rebus Phyſicis, Metaphyſicis & Mathematicis. Ad Phyſicam pertinent utraque mundi Sphæra ſive Globus cœleſtis & terreſtris: ad Mathematicam verò Arithmetica, & Arcium munitio ſeu Fortificatio.

Modi quibus Media iſta comparantur.

IN genere duo ſunt Modi, Diſciplina & Uſus ſive Exercitatio. Prius enim diſcere, tum id quod

cognoscendæ vacares, cùm exquisitam linguæ Germanicæ notitiam, tum eam Juris scientiam tibi parares, quâ majorem vix eorum quisquam affert, qui ex Nobilium ordine cùm passim alibi, tum in Cæsaris præcipuè Regia juri reddundo primum admoventur.

Civilis Prudentia, sive Ethica & Politica; lectione, peregrinatione, & conversatione seu consuetudine hominum paratur.

Lectio est librorum, qui cùm præcepta, tum exempla suppeditant.

Libri præcepta Ethicæ & Politicæ continentes, alii à priscis, alii à novis scripti sunt. Prisci sunt Plato, Aristoteles, Plutarchus, Cicero, Seneca, Epictetus, ac similes, quorum insignia fragmenta Stobæus collecta habet.

Novi trium ferè sunt generum. Nam vel veterum libros Commentariis explanant (ut Gifanius & Johan. Magirus Aristotelis Ethica: sicut Politica idem Gifanius & Philippus Scherbius) vel artium Systemata conficiunt per definitiones, divisiones & regulas, id est, per decreta & præcepta procedendo (cujusmodi sunt Bart. Keckermanni & Clementis Timpleri Systemata Ethica, Oeconomica & Politica, ex quibus tamen tollenda fuerint, quæ Hæresin sapiunt) vel denique de variis quæstionibus disserunt, sive ut vulgò loquuntur Discursus faciunt, cujus generis libri passim extant, ut Jani Gruteri, Scipionis Ammirati, Virgilii Malvezzi & aliorum in Tacitum: de quo scriptore quid mei sit judicii, in libro meo *de Virtutibus styli historici* expositum vidisti.

Libri Exempla continentes sunt Historiæ veterum ac recentiorum: item Onufrii, Panvinii, Johannis Rosini, Glandorpii, Lipsii ac similium de Romanis antiquitatibus lucubrationes. Theatrum

trum quoque vitæ humanæ Theodori Zuingeri totum coacervandis exemplis occupatur.

Peregrinatio, de qua nunc agimus, est præcipuarum Europæ partium perlustratio, ut mores variarum gentium cognoscantur, & linguæ commerciis plus necessariæ addiscantur. Germaniæ Nobiles hunc ferè in peregrinando servant ordinem, ut perlustrata superiore & inferiore Germaniâ in Angliam trajiciant, inde in Galliam, porrò in Hispaniam, pòst in Italiam ac Siciliam; ac domum tandem se recipiant. Qui verò hanc peregrinationem minore temporis ac pecuniarum impensa, nec minima cum utilitate conficere cupiunt, ista observare solent. I. Operam dant, ut linguam gentis illius, ad quam se conferre cogitant, prius probè intelligant. II. Ejusdem gentis Historicum aliquem prius legunt, & Chorographiam ejus, sive Tabulam Geographicam sibi familiarem reddunt: quod ipsum faciunt de Genealogiis præcipuarum illius gentis familiarum. III. Relationes de eadem gente consulunt, quæ in Johan. Botero, in Thesauro Politico, ac similibus libris extant: tum Itineraria ab iis edita, qui priores eandem provinciam perlustrarunt. IV. Comites se adjungunt aliis Nobilibus idem iter suscepturis, idque sedulò dant operam, ut aliquis sit in comitatu, qui jam eandem peregrinationem confecerit, aut saltem linguam populi, quò contendunt, probè calleat. Hæc quippe res plurimi solet fieri, eoque contingit, ut qui varias linguas novit, is facilè occasionem nanciscatur alienis impensis plura regna ac provincias perlustrandi. Ultro enim Magnates talem ambiunt, ac liberis suis peregre ituris ducem itineris additum exoptant.

Conversatio proximus Peregrinationis fructus est.

est. Ad Prudentiam enim parandam perparum in videndis variis locis momentum est, plurimum verò in usu hominum & convictu. Ut autem speratus ex conversatione fructus percipi possit, ad hæc tria respiciendum tibi noveris. I. de quibus rebus conversandum aut colloquendum sit. II. cum quibus. III. quibus in locis. Quod ad primum attinet, omnis conversatio ad ea dirigi debet, quæ sunt vel Gnoseos sive Indicii, vel Criseos sive Judicii. Indicium præstat multarum rerum singularium notitiam, innatumque plura sciendi desiderium alit. Hanc ad rem usui tibi fuerit Zuingeri Methodus Apodemica, peregrinandi artem docens. Inde disces, cujusmodi sint ea, quorum indicium & notitiam interrogando persequi, sive quibus de rebus peregre delatus percunctari debeas, ut multarum rerum scientiâ instructior aliquando domum reverti possis. Judicium docet, quæ facienda aut fugienda sint, quæ scilicet sint vel honesta aut turpia, vel utilia aut noxia. Conversationis ergo fructus erit, ut quis varias res habeat cognitas, id est, ut norit quid esse aut fieri soleat, tum quid esse aut fieri debeat. Ad alterum quod attinet, cum iis conversandum est, qui vel docere possint, vel discere parati sint. Docere norunt, qui vel longa ætate, vel multa lectione, vel peregrinationibus, vel denique diuturno hominum rerumque usu multarum rerum notitiam, deque faciendis & fugiendis, sive de honestis ac turpibus, deque utilibus ac noxiis judicandi facultatem consequi potuêre. Ab horum congressu vix unquam nisi scientior, aut intelligentior discedes, modò ipse tibi non defueris, nec ea quæ ignoras dextrè percunctari, aut quoquo modo sermonis de iis inferendi occasionem neglexeris. Ex eorum verò, qui discere cupiunt, convictu hoc consequi pote-

ris, ut & memoriam eorum quæ videris audieri ſive corrobores, & animum ad ea quæ rogaris intendas, ut quæ neſcis inveſtiges, atque aliunde exquirenda tibi memineris. Idonea tandem converſationis loca ſunt, quò potiſſimum confluere homines ſolent, qui multa vidiſſe, legiſſe, audiviſſe, aut geſſiſſe ſive adminiſtraſſe judicantur, tanquam Aulæ Regum, Romæ putà, Viennæ, Lutetiæ, Bruxellæ, & Madriti. Ibi enim Principum Oratores & Curatores negotiorum magno numero invenies, qui cæteris plura norint, & ex longo rerum hominumque uſu judicio polleant. Et ad horum domos plerique ſive officii & ſalutationis ac deductionis cauſa, ſive converſatione tempus fallere cupientes ſubinde ventitant, ut multa cognoſcendi occaſio nemini, qui eam quærat, ibi deeſſe poſſit. Neque verò cuiquam ad Oratorum amicitiam interpretis operâ, aut commendationibus opus eſt, cum illi etiam ultro iis ſe debere putent, qui ad ſe officii ergo veniunt, ſibique apparitura & deductione ſeu comitatu operam navare ſtudent.

Divina ſapientia, quanta homini Chriſtiano, eidemque nec indocto, & ſupra plebem eminenti ſatis ſit, quotidiana Sacrorum Bibliorum, tum librorum Catorthomaticorum lectione parari poteſt. Sunt autem Catorthomatici, qui perfectum hominis officium docent, quod Ciceroni eſt Catorthooma, actio ſcilicet aut perfectam & heroicam virtutem conſtituens, aut ex talis virtutis habitu profecta. Tales libri ſunt, quos Thomas de Kempis, Johan Gerſon, Abbas Bloſius, Ludovic. Granatenſis, Johan Avila, Franciſcus, Arias, Alfonſus Rodriquez, aliique vitæ ſpiritualis magiſtri, magno Reipublicæ Chriſtianæ bono ediderunt: qui hoc præcipuè præſtant, ut & ſe ipſum homo rectius noverit, & cognita ſua vilitate ac pra-

pravitate ſuas ipſius cogitationes & actiones maximè ſuſpectas habeat, & ad Dei miſericordis opem ſupplex ſe recipere meminerit. Ipſum verò ſapientiæ omnis fontem, codicem dico Sacræ Scripturæ lecturus, præter Nicolai Lirani Commentarium, etiam Annotationes in eum Emmanuelis Sà, & Johannis Marianæ adhibendas tibi noveris, quas ſuo in S. Biblia Commentario inſeruit doctiſſimus P. Stephanus Menochius. Earum enim operâ *Literalem*, quem vocant, Scripturæ ſenſum minimo negotio diſces, ac ſubinde de Hebræa, Chaldæa, Syra & Græca lectione admoneberis.

Scientia rerum Naturalium in vulgaribus Philoſophorum ſcholis parùm addiſcitur, ſive quòd Magiſtri plerumque ad hoc alios doceant, ut ipſi diſcant; ſive quòd in otioſis, inutilibus, & loco ac tempore alienis quæſtionibus occupentur; ſive quòd Auditores nec arte Logica, ut oportebat, inſtructi ſint, nec aliquod diſciplinæ Phyſicæ Syſtema prius cognoverint, quale habes in Phyſicis inſtitutionibus Petri Johannis Nunneſii, Philoſophiæ Peripateticæ facilè principis, & interiore Græcarum ac Latinarum literarum notitiâ ſermoniſque elegantia nemini ſecundi. Omnino auctor tibi ſim, ut Timpleri Syſtema Phyſiologicum diligenter evolvas, ac ſubinde de iis, quæ minus ibi intellexeris, aliquem Philoſophica doctum conſulas. Ita rerum naturalium cauſas & affectiones ſatis cognitas habebis, nec de frivolis illis quæſtionibus, quibus Cathedræ vulgò perſonant, multum eris ſollicitus. In primis autem ex Timpleriano Syſtemate ea te velim probè diſcere, quæ ad utriusque Globi, cœleſtis & terreſtris, explicationem pertinent, quoniam ſine Aſtrologia & Geographia non quantum res poſcet in Chronologicis & Hiſtoricis proficere poteris. Gemmarum, itemque Planta-

rum complurium genera ac virtutes pernovisse, cùm varias habet utilitates, tum homini cum Principibus ac Magnatibus versanti ad gratiam & Polymathiæ, seu multiplicis doctrinæ opinionem suffragari solet.

Metaphysicam, seu primam Philosophiam, ex ejusdem Timpleri Systemate commodissimè haurire poteris. Nam pleraque omnia, quæ à Fonseca, Suario, aliisque majorum gentium Philosophis uberius sunt explicata, miro ille compendio contraxit. Duo tamen in eo facienda tibi memineris; unum, ut prius à docto aliquo Theologo inducenda ac delenda cures pauca illa loca, in quibus Ecclesiæ Catholicæ doctrina non minus imperitè, quam impiè impugnatur, cujus generis sunt quæ lib. 3. cap. 8. problemat. 1. 4. 5. & 13. leguntur: & lib. 4. cap. 4. problem. 27. Alterum ut ex Propædia nostra Logica corrigas, quæ ille de Entis attributis respectivis minus methodicè disposuit. Divisio quippe illa in certas Attributorum classes est omnino arbitraria, & agricolâ numerante, quàm Philosopho generibus res varias digerente dignior.

Mathematicarum scientiarum quantum tibi variis nominibus usus venire potest, tantum tibi, aut etiam aliquantò plus Keckermanni liber exhibuerit, qui *Systema totius Mathematices* inscriptus extat. Cùm ergo hominem inveneris idoneum, ut librum illum tibi interpretari possit, eam tibi occasionem nequaquàm omittendam censeo. Et quoniam in Arithmeticis satis exercitatus es, Graphidem quoque, sive artem rerum quas velis imagines lineamentis cretâ, carbone, vel atramento ductis adumbrandi vel designandi calles, perfacile tibi futurum conjicio, ut Architectonices principia ex Vitruvio, tum hodiernam arcium muniendarum

darum rationem Magistrum nactus addiscas. quod tamen non nisi subsecivis horis, & bono modo, nullaque studiorum magis necessariorum remorâ & impedimento facere te moneo. Vale Mediolani, mense Augusto, Anni 1629.

CONSULTATIO II.

De Prudentiæ & Eloquentiæ parandæ modis in adolescentis cujusdam Germani usum.

UT aliquando, quod te velle video, reipub. operam minimè vulgarem navare, & nominis claritatem generi tuo inferre possis, opus est, ut de Fine, quem in studiis tuis spectes, rectè constituas, & Adjumentis seu Mediis, quæ vulgò vocant, iis utaris, quæ te ad finem animo destinatum quàm commodissimè perducant.

Finis proximus studiorum tuorum esse debet Habitus Prudentiæ & Eloquentiæ. Prudentia verò partim est Senatoria seu Consiliaria; partim Forensis, Judiciaria seu Juridica, quemadmodum vulgò loquuntur. Illam Græci βουλευτικὴν, hanc δικαστικὴν appellant. Quid inter eas intersit, hinc cognosces. Rex, sive Princeps omninoque is, penes quem est τὸ πολίτευμα, sive summa imperii aut Reipublicæ, cùm consultat, tum judicat. Consultatio est de Utili, hoc est, de eo, quod Statum, sive imperium, aut rempub. conservare & augere potest. Judicium verò de jure, hoc est, de eo, quod vel lege scripta, vel more aut consuetudine, justum perhibetur. Ad Consultationem sive Consilium Status, seu Senatum adhibentur Politici, qui nimirum Politicam didicerunt, quæ est Ars condendi, conservandi, & augendi Status sive Rei-

publicæ. Ad Judicia verò, ſive Tribunalia Juriſconſulti adhibentur, qui Juris artem tenent, ſive qui eis, qui litigant, reſpondere ſciunt, quo jure ſua reſpub. in teſtamentis, contractibus cæteriſque privatorum negotiis utatur. Ut igitur non modò Cauſidicum ſive Advocatum agere, ſed etiam à Regibus & Principibus in ſanctius Conſilium non tam illorum errore, quàm merito tuo cooptari poſſis, utrâque Arte, hoc eſt, tam Politica, quàm Juriſprudentia inſtructus eſſe, adeoque ad eas parandas ſtudia & actiones tuas dirigere debes.

Eloquentiam voco facultatem ea, quæ animo conceperis & ſentias, pluribus linguis planè & ornatè proloquendi ac ſcribendi. Linguas porrò alias ornamenti, alias uſûs ſive utilitatis cauſâ diſces. Ornabit te & in magna apud pleroſque exiſtimatione ponet Græcæ linguæ notitia. Uſui tibi erunt præcipuè quidem Germanica, Latina, & Italica ſive Hetruſca; ſecundariò verò Hiſpanica & Gallica; quas quidem omnes intra quatuor annos non magno negotio condiſces, velut multorum mihi exempla ſpondent.

Jam de modis ac rationibus ſive Mediis, quibus Prudentia & Eloquentia parari poſſit, habitâ non tam rei, quàm captûs tui ratione, quædam breviter monebo.

Prudentia conſiliaria ſeu Politica, quantum ad Studium attinet (nam de Praxi ſive Uſu & exercitio hîc non loquor) cùm legendo, tum audiendo acquiritur. Lectio eſt partim præceptorum, partim exemplorum. Præcepta duûm generum libris continentur. Nam alii Syſtema ſeu corpus totius Artis Politicæ complectuntur; alii de certis quibuſdam materiis diſputant, ſeu *diſcurrunt*, quemadmodum ipſis appellare placet. Prioris generis libri aut priſcorum ſunt auctorum, aut recentium. Inter

priſcos

priscos familiam ducunt Aristoteles & Plato. Aristoteles octo libros Politicorum scripsit, & tres Rhetoricorum, qui quavis commendatione majores sunt. In libros Politicos extat Oberti Gifanii principis Jurisconsulti commentarius, Danielis Heinsii paraphrasis, & Philippi Scherbii eminentissimi Philosophi annotationes, ex ejus ore ab adolescentibus quibusdam properanter exceptæ. In libros Rhetoricos notas quasdam Muretus & justam Paraphrasin Riccobonus edidit. Illæ Ingolstadii sunt typis vulgatæ, hæc Francofurti. Justum verò in eosdem Commentarium edidit Majoragius, & P. Victorius literarum princeps. Platonis libros de Republica & de Legibus satis explanatos invenies in Montecatini commentario, quem in secundum librum Politicorum Aristotelis Ferrariæ edidit. Inter recentiores, qui multi sunt, maximè probo Systema Politicum Keckermanni & Timpleri, & ejusdem Keckermanni Apparatum Practicum, dum tamen paucula illa loca, quæ Hæresin sapiunt (uterque enim Calvinum sectatur) in iis libris expuncta fuerint, quæ quidem aliàs tibi indicabo.

Alterius generis libri proximo sæculo pænè innumerabiles prodière, qui nimirum Disputationes seu *Discursus* de variis materiis Politicis complectuntur. Eos passim in librariorum tabernis invenies. Et Francofurti quidem Thesaurus Politicus Latino & Hetrusco sermone scriptus exiit; quem tibi parare memineris. In Italia Joannis Boteri libros non sine fructu leges.

Exempla eorum quæ libris Politicis præcipiuntur in Historicis invenies, in quibus legendis quomodo versari te oporteat, cùm ex aliis libris, tum ex Apparatu illo Practico Keckermanni disces.

Audiendo Prudentiam parabis, si peregrineris,

multumque cùm iis, qui vel ipsi rempub. administrarunt, vel peregrinando multorum mores hominum & urbes cognoverunt, versari voles: cujus quidem rei copiam Romæ vel maximè habebis, quippe ad quam præstantissima quæque non modò Italiæ illius Politicorum nutriculæ, sed etiam totius Christiani orbis ingenia confluere consueverunt.

De paranda Jurisprudentiâ vix tibi consilium subjicere audeo, cùm ipsos annos viginti ab eo studio abfuerim, animumque aliis curis occuparim. Quia tamen cum præstantissimis orbis totius Jurisconsultis familiarissimè vixi, eosque de Arte sua non semel differentes audivi (cum præsertim is, qui familiam inter eos ducere videtur, Antonius Faber Romæ anno 1601. quotidie domum meam ventitans mihi Plautinas fabulas interpretanti operam dare, seque discipulum meum profiteri haud erubesceret) non dubitabo rationem tibi monstrare, quâ intra vertens biennium labore minimè magno tantùm in eo studio proficere queas, quantum tibi ad tuendum Jurisconsulti nomen & rem strenuè faciendam satis sit futurum. Omnium ergo primùm in manus sumito *Epitomen Institutionum Juris* à Dionysio Gotofredo scriptam, quæ cum libello Institutionum à Gotofredo editarum circumfertur, atque etiam in corpore Juris Civilis ejusdem Gotofredi inter Institutiones & Codicem interjecta visitur. Eam Epitomen si velis, itidem ut ipse adhuc adolescens faciebam, uno mense totum edisces: sed ego trimestre tibi constituo, ut subinde textum Institutionum consulere, & si quid non æquè intelliges, Gifanii commentarium inspicere possis: nam is non perinde, ut vulgus interpretum, insanit, qui libellum illum invito Justiniano verbosissimis commentariis onerant, quæ

nequa-

nequaquam minor eſt ineptia, quàm ſi Grammaticus pueris cùm literas colligere & pronunciare diſcunt, Etymologiæ & Syntaxios regulas inculcet. Poſtquam verò Epitomen illam memoriæ penitùs infixeris, omneſque definitiones & diviſiones promtiſſimè reddere ex ea poteris, proxima tibi cura erit ut Titulos Digeſtorum & Codicis tibi familiares reddas, quod quidem, ſi Memoriæ Localis (quam vocant) artificium ſcires, uno ſolo octiduo facillimè præſtares. Sed etiam ſine illo artificio non parum proficies, ſi Titulos omnes uno folio aperto ac patente deſcriptos ſic parieti cubiculi tui affixeris, ut ſemper in conſpectu ſint, & quotidie perlegere volueris. Interea verò lectionem Paratitlorum Matthæi Weſembecii incipies, in qua cùm annum unum conſumpſeris, tantum te profecturum præſtabo, quantum vix centeſimus eorum, qui hodie Juriſconſulti ab Academicis *nemine nemineque penitùs diſſentiente* renunciantur, & partim animo ad Praxin converſo lucrum non pœnitendum faciunt. Te tamen, quod ad biennium tibi temporis erit reliquum, cognoſcendo Juri Canonico tribuere velim, Danielis Venatorii Analyſi juris Pontificii adjutum. quo facto, quin quæ didiceris ad rem transferas, hoc eſt, in Praxi te exercere incipias, & hodiernam fori conſuetudinem, ac de jure reſpondendi & advocandi rationem addiſcas, nihil te videbitur remorari poſſe. Tam multi enim & laborioſi extant materiarum Juris indices ſeu Repertoria, ut nihil dubitarit affeverare Cardinalis Seraphinus Olivarius, qui quadraginta tres annos Rotæ Romanæ Auditorem ſive Aſſeſſorem magna cum omnium commendatione egit, hominem vel mediocris ingenii, qui nihil niſi Artis hujus propria vocabula ſive Terminos intelligat, ejuſmodi Repertoriis inſtructum non triduo,

quod

quod de se Cicero promittebat, sed tribus horis Jurisconsultum se professurum. Aliam eorum rationem esse minimè nego, qui Antecessores fieri, Jurisque libros aliis de superiore loco interpretari cupiunt, quod facere non possunt, nisi ingenti divinarum & humanarum literarum flumine inundati. Sed iis, qui omne hoc studium emolumento seu lucro metiuntur, veterisque Romanæ Jurisprudentiæ, tanquam mulieris cùm annosæ; tum pannosæ & indotatæ amorem missum faciunt, ea, quæ exposui, satis futura cùm magnorum, velut dixi, Jurisconsultorum auctoritas, tum eorum, quos non alia via ad magnas opes brevi spatio duxit, exempla pollicentur.

De Adjumentis parandæ Eloquentiæ quædam universè & generatim, quædam sigillatim & in specie commemorare libet. In genere Linguæ cujusque habitus, vel lectione, vel auditione, vel scriptione, vel sermocinatione comparatur. Lectio est librorum, qui vel notitiam vocum loquendique generum, vel elegantiam, vel utrumque docent, ut sunt Lexica, phrasiologiæ, Comœdiæ, Dialogi, epistolæ, in quibus ea discuntur, quorum quotidianus ferè in vita usus est. Auditio est vel histrionum seu mimorum, vel Concionatorum. Scriptio partim libera est, cum quis argumentum quod libeat tractat, partim alienis verbis velut adstricta & obnoxia, cum quid ex alia lingua vertendum suscipitur. Sermocinatio præstat, ut quæ quis legendo & audiendo didicit, cum facilitate tandem possit expromere. Atque hæc in genere.

Jam de Græca lingua hoc modo monendus videris, operam tibi esse dandam, ut ex Grammatica declinationes, quas vocant, nominum, verborumque conjugationes memoriæ mandes, usum quoque pronominum, conjunctionum, præpositionum

tionum & adverbiorum (quod ipsum in omnibus linguis addiscendis observari oportet) ex iis exemplis, quæ doctiores Grammatici repræsentare solent, probè condiscas. Quo facto Mythologiam Græcolatinam lectitare poteris, Francofurti in 8. anno 1610. editam, & Luciani opera quatuor partibus sive tomis distincta, quæ Basileæ Græcolatina abhinc circiter biennium prodiêre. Novum quoque Testamentum Græcolatinum non inutiliter versaveris. Nam versio, sive interpretatio è regione verbis Græcis opposita faciet, ut vivam magistri vocem non æquè requiras, quamvis eam, cùm copia ejus dabitur, te repudiare nolim. Scapulæ denique Lexicon Græcùm, quod nuperrimè Basileæ recusum est, comparare debes; idque inter legendum subinde consulere. Hoc modo consequêris, ut Græcè doctissimus habearis, quod homini, in negotiis gerendis occupatò & in reipub. luce versanti, meritò satis videri debet, tametsi longè ille absfuturus sit, ut cum Græculis illis de schola hominibus æquari possit.

De Gallica lingua quod sigillatim & distinctè moneam, non habeo, cùm animum, ut eam addiscerem, nunquam inducere potuerim. Nescio enim quomodo semper fui suspicatus, ejusdem hominis esse aliter loqui, quàm scribat, & aliter sentire, quàm loquatur: in qua quidem suspicione non parum me confirmavit, quod ex magno eorum numero, qui in Galliis fuerunt & linguam illam egregiè didicisse visi sunt, neminem adhuc cognovi, qui melior, quàm illuc profectus fuerat, in Germaniam reverterit. Plerosque omnes, si minùs ab honestate animique integritate, à Germanica quidem certè gravitate & maturitate plurimum descivisse; & animos regulis quibusdam sive Maximis, statui Romani Imperii infestissimis, imbutos retulisse multi boni

boni atque intelligentes viri non minimo cum dolore compererunt. Itaque si quis me audiat, aut in tenera adhuc ætate liberos in Galliam mittet, cùm & linguam facilius pronunciare discunt, neque corruptelas illas imbibere possunt, aut eos in vicinia Comitatus Burgundiæ vel Lotharingiæ subsistere, & illic linguam discere jubebit. Quamvis enim non eam ibi pronunciationem paraturi videantur, ut pro Aurelianensibus aut Parisiensibus haberi possint: tanti tamen est, eos animum sincerum, incorruptum, & à patriæ rationibus minimè alienum reportare, neque parùm feliciter in ejus linguæ studio profecisse videri possunt, si nihilo deterius, quàm politiores Burgundi aut Lotharingi, eam pronuncient.

Hispanicam linguam nullo ferè negotio addiscet, qui cum Latinæ cognitione sive Hetruscam, sive Gallicam conjunxerit. Institutiones ejus linguæ, quas Henricus Dœrgang Coloniæ anno 1614. edidit, maximo erunt usui. Si quis etiam habeat librum Salmanticæ editum, qui inscribitur *Janua linguarum*, sententiis ejus Hispanicis, quibus interpretatio Latina è regione respondet, memoriæ mandandis uno mense vel sine magistro tantum proficiet, ut cùm libros Hispanicos intelligere, tum epistolam minimè fastidiendam ejus linguæ verbis scribere queat. Optandum verò foret extare apud nos Terentii Comœdias à Simone Aprilæo in Hispanicum sermonem elegantissimè conversas, & Compluti postremùm editas, tum librum, quo cujusquemodi Epistolarum formulæ hodie usitatæ continentur, cujus inscriptio est: *Estilo y Metodo de escrivir cartas missivas y responder como conviene a ellas.* Vulgatus est Madriti in 8. anno 1608. & iterum Mediolani anno 1616. Lexicon sive Vocabularium ejus linguæ nullum adhuc vidi, in quo

non

non permulta meritò desideres. Antonii Nebrissensis Dictionarium Antverpiæ annis abhinc sexaginta circiter editum, nuper admodum Madriti recusum est, quod modò Latina verba Hispanicis, modò Hispanica Latinis subjectis interpretatur. Quod Christophorus Casa Venetiis in 8. edidit Vocabularium, quo Hispanica & Italica vocabula interpretari se profitetur, extremæ est notæ, & nulli omnino usui. Madriti anno 1611. exiit Thesaurus linguæ Castellanæ, à Sebastiano Covarruvia conscriptus. Sed eo non nisi qui jam Hispanicum sermonem callent, uti possunt: tum plurima propter ignaviam auctoris & oscitantiam in eo desunt, non pauciora vicissim redundant, quæ auctor idem nullo prorsus judicio ad ostentandam eruditionis varietatem ineptissimè congessit. Omnium accuratissimus est Thesaurus Hispanicæ, Gallicæ, & Italicæ linguæ ab Hieronymo Victore Bononiensi Italo compositus, & Genevæ in 4. anno 1609. editus, quem linguarum illarum studiosus, qui me audiet, incunctanter comparabit.

De ratione discendi linguam Hetruscam sive Italicam pæne supervacuum videtur, quicquam à me in medium afferri. Passim enim invenias, qui eam paucis mensibus labore minimè magno scribere ac loqui didicerint. quorum vix quisquam futurus videtur, quin de addiscenda ea deliberanti consilium utile suppeditare possit. Itaque aliud nihil monebo, nisi rectissimè facturum, qui sibi Euphrosyni Lapinii institutiones linguæ Florentinæ, Cruscæ Vocabularium, Mundi Fabricam, Fabrini Terentium, & Ideam Secretarii comparaverit. Horum enim librorum maxima est ad vim vocabulorum cognoscendam, & ad epistolas scribendas, utilitas. Cætera hominum Italorum usus satis docebit.

De

De Germanica lingua rectè discenda te hominem Germanum moneri,minus mirabitur qui sciat, quanta sit Dialectorum ejus linguæ varietas,quamque parum rectè Austriæ Provinciæ homines quà pronunciare, quà scribere soleant. Dialectos alias vocare principes placet, sive generales, alias principibus subjectas sive speciales, quæ quamvis in multis à principe aliqua Dialecto recedant, in multò pluribus tamen ad eam referuntur. Inter principes familiam ducit & primas obtinet dialectus Misnica, quæ Germanis idem est, quod Græcis Attica, Italis Florentina, Gallis Aurelianensis, Hispanis Toletana. Misnenses enim optimis & probatissimis vocabulis ac phrasibus utuntur; quamvis in pronunciandis diphthongis & consonantium nonnullis, risum cæteris Germanis meritò debeant. Verbi gratia, cùm dicunt, *Heebt* pro *Haupt*, *Zeeberer* pro *Zauberer*, *Jot* pro *Got*, *Gahr* pro *Jahr*: *Jott jeb euch ein jutes neues gahr*, pro *Gott geb euch ein gutes neues Jahr*. Misnicæ subjectæ sunt Turingica, Francica, Hassica. Secundum locum tribuo Rhenensi Dialecto, quâ Rheni accolæ ad fines usque Belgii magnam partem utuntur. Moguntiæ cives eam reliquis emendatiùs pronunciare judicantur. Tertia est Suevica, quæ & ipsa suas in diversis Sueviæ partibus varietates habet. Quarta Helvetica,quâ quondam omnes ferè Alemanni, hodie Helvetii tantum utuntur, quam haud scio an omnium superioris Germaniæ copiosissimam minimèque depravatam rectè dixerim. Homines enim suo contenti & Aularum contemptores (ex quibus ferè Helvetiorum respublicæ constant) minus exteris misceri, neque de lingua polienda & adscitis peregrinis vocibus loquendique generibus exornanda soliciti esse solent. Quinta dialectus est Saxonica, quâ cùm Saxones, tum Westphali, Holsati, Mechel-

Mechelburgenses, Pomerani, & Brandeburgenses utuntur. Sexta est Bavarica, cujus in Bavaria, Tiroli, Stiria, Carinthia, Austria, & trans Danubium in Aistadiensi Episcopatu, & apud Nariscos, qui & *Armalausi* quondam dicti, sive in superiore Palatinatu usus est. Exteri cum eam audiunt, ex ipso sono longoque vocalium tractu homines ea loquentes dissolutos, ignavos, & animo omissiores esse suspicantur. Alacritas enim linguæ & pronunciationis celeritas, ingenii acris ac vividi index putatur. Qui ergò vel consonantes alioqui minimè asperas proferre pigratur, vel Vocales longo pronunciationis tractu usque eò producere gaudet, ut ex singulis ternas vel quaternas facere videatur, quod Bavari & Austriaci solent, cum exempli causa *Aaa* dicunt pro *Auch*, *Pfaffenhooofen*, *Schrobnhaaausen*, *Waaarlo* pro *Warlich*, *Yyynglstat*, *gooold*, *eiiijen*, *triiinck*, *huuut*, *Graaaz* pro *Graz*, *Taaaler*, pro *Teller*: talis igitur facilè Italis, Gallis & aliis suspicionem movet, ut eum *Veruccum in patria crassoque sub aëre natum* credant. In qua suspicione saltem de plebejis hominibus non multum eos falli, vel opificum, qui ea dialecto magis utuntur, exempla fidem faciunt, quos magnam partem obtusi ingenii, ignavos & laboris fugitantes esse constat: sicut etiam in eorum censu, qui Germanicum nomen literis & ingeniorum monumentis illustrarunt, quique vel in Societate Jesu, vel inter Lutheranismi Præcones ingeniis, eruditione, & eloquentia excellunt, multò pauciores Bavari, Austriaci, Tirolenses, quàm Suevi, Franci, Rhenenses, & Saxones numerantur. Neque tamen negaverim Austriacos, qui vel in Aula Viennæ, vel in vicina, ac velut suburbana Pannonia multum consuetudine exterorum usi sunt, Bavaricæ stribliginis aliquantum detersisse, eaque ex re sic jam animis efferri,

ut emendatæ tersæque locutionis palmam non Bavaris modò, sed & quod maximè est ridiculum, ipsis Misnensibus & Rhenanis ereptum eant. Verùm, si quod res est dicere volumus, etiam quos inter ipsos esse cultissimi purgatissimique sermonis oportebat, tamen idiotismis Bavaricis non modò cædendis sermonibus, sed neque scribendo abstinere possunt. Non longè abiero, Melchiore Clesselio Viennensi Episcopo non temerè quisquam Austriacorum, quantumvis ipse sibi placeat, se Germanicè melius loqui aut scribere persuasum habet. Eum enim haud alia res, quàm Germanica facundia, quâ Hæresin pro concione multis annis feliciter flagellaverat, ex humillimo loco ad tam celsum honorum fastigium evexit. Ex hoc tamen audias, partim etiam in scriptis ejus legas *Mir*, pro *Wir*; *Enck* pro *Euch*; *Ees* pro *Ihr*: *Enten* pro *Darüber* aut *Ieseit*: *Thaan*, pro *thun*: *Kaan*, pro *Kuen*: *Graaz*, pro *Graz*: *Es gehœrt mein*, *dein*, *sein*, pro *es gehœrt mir*, *dir*, *ihm*, vel *es ist mein*, *dein*, *sein*. Quem porrò mihi dabis Austriacum ex omni Cæsaris comitatu, qui non iisdem aut fœdioribus Bavarismis orationem inficere soleat? ut quicunque eos exaudiunt, sine controversia statim rogare possint, *Numquid omnes isti qui loquuntur, Galilai sunt?* Nam hæc verba Serenissimi Archiducis Ferdinandi Concionator Aulicus Pater Baltasar Nimitsch Jesuita, equestris apud Silesios familiæ, in celeberrima concione Pentecostes anni 1609. non alium habere sensum ajebat, quàm si quis hodie diceret: *Nonne omnes isti sunt obtusi & crassi Bavari?* qua tamen interpretatione meo quidem judicio supersedere non uno nomine debuit. Primùm enim cùm humanitatis causa, tum propter religiosum, quod profitetur, vitæ genus cautum ab eo oportuit, ne sic integram nationem palàm stuporis insimularet,
in

in qua præsertim viros pietate in Deum & multiplici virtute spectatos, neque nullos ingenii ornamentis & eloquentia claros numerari ne ipse quidem abnuere auderet. Deinde etiam ingenui gratique animi officium erat, nequaquam tam malam Bavaris gratiam rependere, qui primi omnium Germanorum Societati Jesu receptum apud se præbuere, eamque in hodiernum usque diem fovere non desistunt. Adhæc auribus & rubori Bavarorum, qui ei concioni intererant, consulere debebat, quoniam se non modò à Nobilissimis Bavaris, Archiducum Cubiculariis, sed etiam ab ipsâ Principis conjuge, cui ipse à sacris Confessionibus esset, audiri minimè ignorabat, cujus pater Serenissimus Bavariæ Dux Gulielmus Collegiis an Basilicis illis quæ Jesuitæ Ingolstadii & Landspergæ habitant, à solo excitandis & ditandis, tum vel maximè binûm millionum impensa, quam in unum Monachiense Collegium fecisse existimatur, quidvis potius meruit, quàm ut stuporem Bavaris ullus Jesuita exprobret. Postremò hominis non satis sani fuit Bavaros tam inclementer apud eos accipere, qui ejusdem essent linguæ participes, neque qua illis laude præstent, planum facere possent. Sed sunt ista alterius loci, neque mihi nunc morum censuram exercere libet. Itaque ad Germanici sermonis dialectos ex diverticulo revertor: quarum longè omnibus præferri debet, quæ Communis appellari potest: cujus loquendi genera sive phrases à Misnensibus potissimùm petuntur, pronunciatio verò Idiotismis & propriis singularum vitiis caret, ut si quis ea loquentem audiat, qui cæteroqui omnes Dialectos agnoscit, sermonem quidem ipsum probet, nequaquam tamen, cujus ille nationis sit, constituere possit. Hæc Spiræ & in Aula Cæsaria facilè addiscitur, quòd eò ex omnibus

Germaniæ partibus multi confluere soleant, qui magnoperè cavent, ne vernaculæ linguæ idiotismis, quos cæteri omnes ut vitiosos exsibilant, risum iis, quibuscum versantur, commoveant.

Jam ut quos potissimum libros discendi Germanici sermonis causa legere debeas, exponam, alios tibi propter verba cùm singula, tum conjuncta sive phrases; alios propter integram orationem sive compositionem legendos memineris. Prioris generis sunt Trilingue Lexicon, Latinum putà, Græcum; & Germanicum Argentinæ typis Rihelianis excusum, Phrasiologia & Rhetorica Germanica Satleri, & Ulneri phrases. Posterioris verò Constitutiones sive Recessus Imperii, & Georgii Schereri Jesuitæ opera. Joannis Pistorii libri sublimi modo generique dicendi verba ac phrases suppeditant, cujus in Principum epistolis & edictis usus est. Conradus Vetter, Jesuita verborum& phrasium copiam augere potest, sed in postremis suis libris cùm idiotismos Suevicos acBavaricos, tum plebeja non pauca nimisque humilia & sordida orationi infarcit, cæterùm festivissimus & verè Germanorum Plautus, si tamen gravissimas de Religione controversias id genus sale condiri non dedecet.

Reliquum est, ut de modis & adjumentis discendæ Latinæ linguæ sententiam meam tibi aperiam. Aut igitur mediocri & imperfecta ejus linguæ notitia contentus es, quæ scilicet homini in reipub. negotiis occupato satis futura videatur; aut propositum tibi est eam perfectè cognoscere, omniaque ejus mysteria perspecta habere, ita ut non modò animi sensa tolerabili, vel etiam laudabili verborum genere exprimere, sed hoc amplius de cujuscumque scriptoris Stylo ac Latinitate explorato ac sine errore judicare possis. Si prius placuerit, duplicis generis libros legas oportet, quorum alii culpa ac vitio

tio carere, alii laudem aliquam mereri te doceant. Vitia verò orationis aut præceptis sive Grammaticorum regulis,aut consuetudini & idiomati eorum, qui optimè locuti sunt & scripserunt, adversantur. Præceptis adversanturBarbarismus & Solœcismus. Illo enim Orthographiæ, Prosodiæ, & Etymologiæ, hoc autem Syntaxeos seu Constructionis regulæ violantur. Consuetudini repugnat partim Archaismus, sive veterum & obsoletorum verborum usus; partim Neoterismus, Novatio seu Novitas, cum quis verbis utitur, quæ nemo ante Ciceronem usurpavit; partim denique Idiotismus alterius linguæ, sive Peregrinitas, cum quis verbi gratia propriam Italis aut Germanis loquendi consuetudinem Latinis verbis imitatur: ut si dicas *Pati damnum*,uteris quidem verbis Latinis,sed minimè Latinè: nam Latinus Idiotismus postulat *Facere damnum*, aut *capere* vel *accipere*, vel etiam *Affici damno.* Sed Idioma Italorum est aliarumque nationum *Pati damnum.* Solœcismos & Barbarismos boni Grammatici caveredocent, ut fuerunt ætate nostra Franciscus SanctiusBrocensis, Nicodemus Frischlinus, & (si Jesuitis fides) Emmanuel Alvarus. Ab Archaismo nullum est hodie periculum nisi iis, qui Plautum,Terentium,Salustium,Lucretium, Varronem, & vetustissimorum fragmenta nullo cum judicio legerunt. Peregrinarum linguarum Idiotismos Hadrianus Cardinalis,Maturinus Corderius, & Antonius Schorus curiosè notarunt. Novationis culpam ut effugias, vulgaria Lexica Latina utiliter consules, inprimisque Latinæ linguæ Thesaurum à Roberto Stephano editum: nam quæ ibi aut nullum, aut non nisi posteriorum temporum auctorem habent (post Hadriani scilicet Imperatoris ætatem) iis velut novis & apud superiores ætates nondum auditis meritò abstinebis. Decipiunt quidem

dem id genus libri judicium non semel, cum vel quæ Latina ac bonis auctoribus usurpata sunt omittunt, vel quæ nullum idoneum auctorem habent. pro Latinis venditant, vel Latina perperam interpretantur, eoque pacto Latinis verbis barbarè loqui docent, vel vitiosa denique auctorum exemplaria in recitandis eorum verbis sequuntur. quam ob caussam viri docti Lexicis non velut Magistris, sed tanquam Ministris, ac velut in memoriæ subsidium utuntur. Ei tamen, qui primarum inter literatos partium esse non postulet, sed mediocritate contentus sit, Lexicographorum fidei se permittere nequaquam turpe aut pudendum videtur.

Laudes orationis præcipuæ sunt Perspicuitas, Puritas, & Elegantia: quas ut assequaris, Ciceronem inprimis, & ut quisque est Ciceronis simillimus, sæpe legere & scribendo imitari te oportebit. Nam ut rectè minor Plinius censuit, *Stultissimum est ad imitandum non optima quæque proponere.* Optimam porrò fuisse eorum linguam, qui circa Ciceronis & Augusti ætatem floruerunt, & ea ipsa ætate longè omnibus Ciceronem præstitisse, maximi omnium sæculorum viri uno ore contestantur: quorum consentiens judicium contemnere, & inferiorum ætatum auctores potiùs imitandos arbitrari, hominis est, cui vel pudor omnis perierit, vel minimè sanum sit sinciput atque helleboro indigeat. Ex omnibus porrò Ciceronis operibus Orationes, libri de Officiis, & Tusculanarum disputationum diligentissimam ac sæpius iteratam lectionem merentur; Epistolæ verò omnes, si quis eas familiarissimas sibi reddiderit, hoc præstant, ut ne si velit quidem possit non eleganter scribere. Similiores Ciceroni sunt Cæsar, Cornelius Nepos, Livius, Curtius, Valerius Maximus, & Vellejus. In Trogi Pompeji historiam nonnulla Justinus degeneran-

tis

tis posteriorum ætate Latinitatis vocabula invexit; quod ipsum Asconio Pediano, quamvis rarioribus locis, usuvenit. Illos igitur priores tutius à te legi existimabis, cum quibus, si vacet, Terentium conjunges. Usui quoque erunt Ciceronianus Nizolii Index, Schori, Manutii, Gifanii, aliorumque phrasiologiæ Ludimagistris, quàm mihi, notiores. Francisci quoque Sylvii Progymnasmatis & formulis Brissonii cognoscendis non pœnitendum feceris operæ pretium, sed magis, quæ Godescalcus Stenechius, & post eum Tursellinus de Latinæ linguæ Particulis commentati sunt.

Atque ista quidem ei, qui nihil nisi perspicue, purè atque eleganter scribere cupiat, satis esse possunt. Verùm ei, qui exactam perfectamque linguæ Latinæ notitiam & rectè de alieno Stylo judicandi facultatem parare velit, longe improbior præsumendus est labor. Primùm enim omnes cujuscunque generis Grammaticos Latinos cognitos habeat oportet, sive illi verborum origines ac significationes tradant, sive artis præcepta doceant, sive denique auctores Latinos explanent aut emendent, quod genus Critici vocantur. Tales ex veteribus quidem sunt Varro, Pedianus, Festus, Agellius, Nonius, Macrobius, Servius, Donatus & Eugraphius; ex recentioribus verò Charisius, Diomedes, Priscianus, cæterique in corpore Latinorum Grammaticorum à Putschio comprehensi: ex novissimis denique Critici in Gruteri Thesauro Critico relati, Glossarum interpretes, Lexicographi, Valla, Linacer, Saturnius, uterque Burdoscaliger, Sanctius, Schorus, Hadrianus Cardinalis, Frischlinus, Becmannus; & Critici, quorum opera in Thesauro Gruteri non comparent, quo in genere familiam ducunt, inter Italos Fulvius Ursinus, inter Hispanos Petrus Ciacconius, inter Gal-

los Hadrianus Turnebus, inter Germanos Justus Lipsius.

Deinde auctores & conditores Latinæ linguæ, pro cujusque ætate atque pretio legat atque imitetur necesse est., qui turbæ literatorum eximi & inter principes censeri postulat. Ut enim ex ipsorummet auctorum testimonio satis constat; variæ Latini sermonis ætates fuêre, quarum aliam quidem Auream, aliam Argenteam, Æneam, Ferream, Ligneam, Luteam denique vocare soleo.

Aurea mihi est, qua cæteri, qui consecutis sæculis literarum & eloquentiæ laude polluerunt, homines Romæ quàm purissimè, emendatissime & elegantissime loqui & scribere solitos fatentur. Hanc à temporibus belli Punici secundi ad extremos usque Augusti annos produco, quibus linguam corrumpi cœpisse ex utroque Seneca, Suetonio, Quintiliano, & Hadriani Imperatoris apud Charisium verbis discimus. Hujus ætatis scriptores alios facio veteres, alios medios, alios novissimos. Veteres vocat Cicero Plautum, Terentium, Ennium & similes, quorum hodie non nisi fragmenta quædam extant. Horum dictio Aurum est, sed cui nonnihil scoriæ vel purgamenti sit admistum. Scoria ista est partim usus vocabulorum, quæ posteriores judicio repudiarunt velut obsoleta & impolita, partim Compositio hiulca, aspera & scabrosa atque ἀνάρθρως, sive nullis numeris colligata, partim denique verba & loquendi genera exotica seu peregrina, & ex aliis Italiæ partibus in Latium importata, quibus Statium Cæcilium Insubrem, & Pacuvium Calabrum orationem infuscare solitos ipse testatur Tullius. Medios appello, qui quamvis tempore conjunctiores essent Novissimis, tamen neque prisca verba missa facere, neque aptæ verborum alioquin optimorum structuræ & compositioni

positioni aliquid curæ impertiri animum induxerunt. Tales sunt duo Ciceronis amici Varro, & Lucretius, totidem clientes, Catullus & Cœlius, cujus est octavus inter libros epistolarum Ciceronis ad familiares, unus denique inimicus Sallustius: de quo quid partim æquales illorum temporum, partim ei ætati suppares judicarint, in libello, quo meum de styli Historici virtutibus judicium aperio, distinctius expositum invenies. Novissimos facio Ciceronem, Cæsarem, Corn. Nepotem, Livium, Trogum Pompejum, Vitruvium, Virgilium, Horatium, Tibullum, Propertium, & Ovidium. In Nepotis tamen vitas dubium non est nonnulla posterioribus sæculis irrepsisse ab ævi Augustæi auro remotiora, Æmylii credo Probi opera, cujus nomen multis sæculis libellus Nepotis præscriptum habuit. Trogi certè Historiam Justinus non solùm admutilavit, sed non uno etiam loco verbis ferrea demum ætate usurpari cœptis inquinavit. Vitruvius orationem peregrinitate & plebitate, id est, verbis loquendique generibus infimæ plebi familiaribus, aut ad transmarini seu Græcanici sermonis consuetudinem ineptiusculè conformatis passim infuscat. quæ vitia unà cum archaismis & novitatibus etiam apud Varronem inveniuntur, cui propterea elegantiam defuisse notavit P. Lavinius in libro de verbis sordidis, velut apud Agellium videre est lib.20. cap.2. Ovidius quoque magna in verbis novandis licentia utitur, ac neque humilia & à plebe petita fastidit, eaque re nonnemini visus est Argenteæ potius ætati accensendus.

Argentea porrò Latinæ linguæ ætas præcipite jam & vergente ad finem Augusti imperio cœpit, simulque cum Neronis interitu finem habuit. Hujus ætatis est Curtius, sed propè aureâ dignior,

tum Vellejus, Valerius Maximus, Manilius, uterque Seneca (Rhetor inquam & Philosophus) Asconius Pedianus, Petronius, Mela, Columella, Phædrus fabularum scriptor, Hyginus, Lucanus, Persius; & Tragædiarum Thebaidis ac Medeæ scriptor. nam cæteræ Tragædiæ, quæ Senecæ nomen præferunt, nec sententiarum acumine, nec dictionis puritate cultuque ad duarum illarum summam procedunt. Phædrum tamen & Hyginum velut elegantiæ minùs studiosos plebeja plusculum usurpasse apparet: quo sermonis vitio neque Petronius abstinere se potuit, qui passim etiam habet *Singularia* præter omnium veterum & æqualium consuetudinem: quæ tamen vitia aliis vitiis, sed dulcibus nec paucis acutè, salsè & eleganter dictis redimit. In Asconium nonnulla posteriorum Grammaticorum glossemata palàm barbara alicubi irrepserunt.

Æneam ætatem imperio Vespasiani ac filiorum, Nervæ, Trajani, & Hadriani determino, qua principes sunt in versu quidem Juvenalis, nemini argenteæ secundus, in soluta verò oratione Quintilianus Ejusdem sunt uterque Plinius, quorum major est copiosior & acutior, minor dilucidior cultiorque. Ejusdem Suetonius, Tacitus, Florus, Solinus, Statius, Valerius Flaccus, Sulpitia, Silius Italicus, & Martialis. Etiam Jurisconsulti hujus ætatis, quorum in Justiniani Pandectis fragmenta legimus, longè cæteris, qui posteriùs floruere, purius & cultius loquuntur. Itaque hac ætate imitandi licentiam definire placet, ut videlicet horum modò scriptorum, non etiam illorum, qui posterioribus ætatibus vixere, verbis loquendique generibus, tutò ac sine justa reprehensione utaris, hactenus tamen, si meliora ex superiorum ætatum auctoribus non suppeditent: nam ubi Aurea de-

sint,

ſint., argenteis ; ſin autem hæc quoque deficiant, æneis uti jus eſt.

Ferrea ætas ab Hadriani fine ad minoris uſque Theodoſii tempora extenditur, ad quam plerique ſancti Patres & Eccleſiæ doctores pertinent, quorum in ſermone cæteris præſtant S. Ambroſius, eique proximus S. Hieronymus. Lactantius Ciceronem ſatis feliciter imitatur, Agellius, Tertullianus, Arnobius, Minutius & Apulejus propter eruditionis varietatem omninò legendi ſunt, ſed imitatio eorum ſtoliditatis opinionem conficit. Prudentius ſanè tolerabilis eſt Poëta, ſed aliàs ætatis conſuetudine abripitur, aliàs priſcorum verborum uſui & Lucretii imitationi nimium indulget. Auſonius, & Claudianus vel melioribus ſæculis inſerere ſe poſſunt. Symmachus in epiſtolis quoties ſuo, quàm Theodoſiani ſæculi more ac modo loqui mavult, non multum neque optimis concedit. Ejuſdem ætatis, ſed pretii non ejuſdem ſunt Macrobius, Panegyriſtæ quidam, Vegetius, Nemeſianus, Olympius, Frontinus, Cenſorinus, Aurelius Victor, Fl. Vopiſcus, Aur. Spartianus, Æl. Lampridius, Trebellius Pollio, Jul. Capitolinus, & Volcatius Gallicanus. Hos ſatis fuerit ſemel legiſſe, & ex iis annotaſſe, ſi quid ad ſuperiorum intelligentiam uſui futurum videatur.

Scriptores, qui Lignea & Lutea ætate vixerunt (quorum illam Juſtiniani Imp. temporibus definio, hæc non multò pòſt non magis Imperii, quàm ſermonis Romani interitum vidit) quoniam nulla eorum ad id, quod hoc loco quærimus, utilitas eſſe poteſt, meritò à me prætermittuntur.

Inſcriptionum veterum Latinarum, quoniam plurimæ melioribus ſæculis natæ fuerunt, magnam meritò rationem duxerit, qui eam, quam dixi, in Latinis literis perfectionem & abſolutionem deſiderat.

derat. Multum igitur Jano Grutero optimo ac doctissimo viro hoc etiam nomine debent literæ, quod Inscriptiones omnes laboriosissimè undique collectas in unum volumen redegit ac digessit, & Indicibus, qui sæpè explanationis quoque vice esse possint, ornavit.

Verùm an tanti sit tantum in hujus linguæ studio temporis ac laboris impendere, meritò ambigitur. Ego quidem, cui sit res angusta domi, nisi gloriam ac nominis claritatem lucro potiorem ducat, nunquam ejus rei auctor ei fuero. *Nescio quomodo bonæ mentis soror est paupertas*, ait senex ille apud Arbitrum. At ego non nescio, quæ res faciat, ut politiores literas interius docti cum rei familiaris angustiis plerumque luctentur. Principes hodie nullum literarum gustum habent, neque quicquam cuiquam temerè largiuntur, nisi quo vel voluptatis suæ, vel utilitatis administro uti queant. Itaque Assentatores & Ridiculi, sive Parasiti hilaritatis per meliora dicta artifices, tum vel maximè Lenones ac perductores & stuprorum atque adulteriorum interpretes ac sequestri in bene aucta parte passim apud Reges & cujuscunque generis Principes inveniuntur, quoniam eis jucundi sunt & voluptatem creant, in quâ illi ferè, placitis Epicuri convenienter, felicitatis humanæ summam collocare solent. Audi sodes eundem exercitati vultus senem, qui videtur nescio quid magnum promittere:

Qui pelago credit, magno se fœnore tollit.
Qui pugnas & castra petit, præcingitur auro.
Vilis adulator picto jacet ebrius ostro,
Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.
Sola pruinosis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua desertas invocat artes.

Habes

Habes hic viam non unam, qua recta ad lucrum hodie quoque curritur, Mercaturam videlicet, Militiam, Assentationem, & Lenocinium. Sed si satis ingenium tuum pernovi, plurimum ab iis, velut partim periculosis, partim illiberalibus ac turpibus abhorrebis, nec temerè ullam earum ingredi voles, potiusque ad Jurisprudentiæ studium animum appelles, quòd eam juxtà quæstuosam & honoratam esse videas. Sive enim sacrum aut Ecclesiasticum vitæ genus sectari, sive in hoc Laici hominis statu permanere & liberis quærundis uxorem ducere volueris, ista Jurisconsulti professione non modò paupertatem expellere, sed luculentum insuper quæstum facere poteris. Primùm enim palam est, majorem eorum partem, qui hodie vel maximis in Ecclesia dignitatibus præsunt, & unctissimis Episcopatibus atque Sacerdotiis fruuntur, quantulacunque juris ac legum notitiâ tinctos ad eos honores opesque pervenisse; cæterùm Hebraicè, Græce ac Latine indoctissimos, tum Sacrarum literarum non magis, quàm Scythici, aut Japonici sermonis intelligentes esse. Quamvis enim S. Paulus eum, qui velit esse Episcopus, Doctorem esse jubeat, qui scilicet aut ab infantia sacras literas didicerit, aut saltem in lege Domini die ac nocte meditetur; tamen adeò res hodie rediit, ut qui Theologiæ Doctor sit, vix nomen inter Episcopatuum Candidatos profiteri audeat, solisque Legum ab impiis & paganis latarum Doctoribus ad Ecclesias aditus patescat. Hi scilicet sunt, quos Ecclesiæ suæ Deus daturum se Ierem. 3. sic promisit: *Dabo vobis Pastores juxta cor meum, ipsi pascent vos scientiâ & doctrina.* Quis enim dubitet, quin id genus Doctores scientiâ ac doctrina Christi oves pascere noverint, cùm Jurisprudentia vel ipsorum prædicatione sit

sit *divinarum atque humanarum rerum notitia?* Sed si S. Paulum de iis percuncteris, aberit non longè, nisi ego longè fallor, quin sua hæc verba rectè in eos conferri respondeat: *Volentes esse Legis doctores non intelligunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

Deinde autem Principum vitio fieri constat, quoniam illi, quantum Jurisprudentia arte benè imperandi sive Politicâ intersit, prorsus non intelligunt, ut non modò in Tribunalibus, ubi de jure scripto aut moribus recepto agitur, Jurisconsultos collocent, sed etiam in sanctius sive Status consilium, ubi de eo, quod Statui sit utile, quæritur, plerumque adsciscant. Ipsi autem ei Principum ignorantiæ sibi quæstuosissimæ refragari religioni habent, quamvis se non nisi formulas & litium jura didicisse, nullamque rem in Politicis sapere probè sint conscii.

Postremò etiam illos rem facere ac patrimonia non conduplicare, sed multiplicare passim videas, qui Causidicinæ modò dant operam, & lites aliorum seu voce, seu scripto; seu consilio solùm moderantur. Nec enim ulla tam palàm iniqua aut deplorata est causa, cui isti si libeat (libet autem, quoties eis dolosi spes refulserit nummi) colorem obducere, & vincibilem probabilemque reddere nequeant. Quo nomine qui eos accusant minimèque ferendos putant, meminisse debent, à graviori reprehensione eos abesse oportere, qui quod malè faciunt, palàm profitentur, potiusque omnem illis culpam assignari debere, qui professioni ejusmodi locum in repub. relinquunt. Apertè autem ferunt isti, se Jurisconsultos, sive Juris utriusque Doctores esse, ac de Jure consulentibus respondere, Judicibus denique Jus illud suum obtrudere, Jus porrò suum partim justum, partim injustum esse minimè dissimulant. *Jurisprudentia* (ajunt) *est justi & in-*

& injusti scientia. Nimirum Genus per Species suas declarant. Prudentia vel scientia Juris alia justi est, alia injusti. Atque hujus sententiæ adstipulatorem habent Ciceronem, cujus verba sunt in secundo de Legibus: *Stultissimum est existimare, omnia justa esse, quæ scita sint in populorum institutis aut legibus.* quî poterat planius dicere Jura civilia partim justa, partim injusta esse? Nimirum *Jus* priscis erat *Jussum*, quod scilicet populus jussisset, sicut *Os* testantibus Grammaticis priùs erat *Ossum*. Populus autem in jubendo non directam illam justitiæ & æquitatis regulam, sed utilitatem modo sequitur, ac propterea *Utilitas justi propè mater & æqui* ab Horatio dicitur, & sæpè in libris Juris, Romani *aliquid propter utilitatem receptum* legimus. Atque hæc Platoni causa fuit, cur Jurisconsultos & Causidicos sapientes esse, aut veræ Justitiæ notitiam habere ullam negaret. Ejus in Epinomide verba sunt: *Neque Sapientes dici eos volumus, qui litigantibus suas in dicenda causa vires commodant: quippe cùm memoriâ & usu, opinionis moribus se accommodent, & à vera justitia intelligentia procul aberrent.* Utrovis ergò modo præstant, quod profitentur isti Juris utriusque sive duplicis Doctores, sive justum sive injustum Jus clientes suos Judicesque doceant, ipsique propterea ab iis, qui professionem tolerant, accusari non merentur.

Fortassis autem studium istud quamvis lucro auspicatissimum hoc tibi nomine minùs arridebit, quod plerumque quo quis in ista justi & injusti scientia melior & recoctior, tanto improbior ac nequior, tum etiam indoctior, & à sensu bonarum literarum remotior perhibetur. Nam apud Germanos nostros proverbio ferri non ignoras, *Gut Jurist, booser Christ*, id est, Bonus Jurista, idem malus est Christianus: & apud Italos pervulgatum est: *Purus Legista purus asinista.* Sed neutrum satis idoneum

idoneum non quidem omnibus (nam quosdam Jurisconsultorum eximiè doctos verèque probos in Italia, Hispania, Gallia, & Germania novi, & amicos habui atque etiamnum habeo) multò tamen maximæ eorum parti videtur, cur in alteram partem possidere palmam, hoc est, vel literati, vel valde boni viri audire postulent. Et contra Germanicum quidem adagium strenuè frontem perfricant, commodante eis advocationem illo Juvenalis monito:

——— illa tuo sententia semper in ore
Versetur, Diis atque ipso Jove digna Poëtæ:
Unde habeas, quærit nemo, sed oportet habere.

Igitur dum habeant, aliorum omnium de moribus suis existimationem flocci non faciendam putant,

——— ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives populi contemnere voces
Sic solitus: Populus me sibilat: at mihi plaudo
Ipse domi, simulac nummos contemplor in arca.

Similiter autem & alterum de barbarie ac literarum inscitia tritum in Italia verbum, meritò sibi videntur infra fiduciam ponere ac velut frivolum contemnere, cùm plerorumque omnium judicio opes cumulare, hoc demum sit scire literas, & quemadmodum est apud Platonem: *Multi in hoc consentiunt, sapientem inprimis sibi ipsi sapere oportere: hujus autem hæc est summa, ut argenti quamplurimum acquiratur.*

Quod si tamen omnem istam barbariæ ac ruditatis opinionem à se amoliri velint, atque adeò varia doctrinâ culti ac literati videri affectent, minimè difficulter id consequuntur, si eorum faciant exem-

exemplo, quos ipse in Regia Cæsaris, Romæ, aliisque locis paulò novi ac tractavi familiarius. Postquam scilicet rem familiarem constabilitam habere cœperint, Bibliothecam multis cujusque generis libris instruere, & à Bibliopolis, ad quorum tabernas plurimi subinde confluunt, pro quibusdam librorum heluonibus celebrari solent, cum ipsi interea Indices seu Titulos librorum &, si fortè, Præfationes, in quibus argumentum operis & scribendi consilium ferè continetur, inspicere satis habeant. Si quando etiam consultores & adventores suos transactis; quorum causa venerant, negotiis à se dimissuri sunt, captâ astutè occasiunculâ libri alicujus ex nuperrimè emptis mentionem injiciunt, eumque procedente sermone promunt & inspiciendum præbent. Eadem verò operâ suam ipsi sortem miserantur, quibus vix tantillum à gravioribus negotiis otii suppeditet, ut quasi furtim ad mansuetiores Musas revisere, animumque legendis id genus libris avocare ac recreare possint: quod cum audiunt homines vel semidocti, vel certè nihil de isto famæ parandæ artificio suspicantes, & ipsi eorum ingenium, quod tot curis ac studiis sufficiat secum admirantur, & alios porrò in eundem errorem prædicatione sua inducunt. Verùm haud scio, an vel maximum conficiendi literarum nominis in eo momentum collocent, quòd Vocationibus, id est, conviviis aliisque officiis Poëtas, Grammaticos, Oratores, quicunque denique humanioribus literis censentur, sibi devinciunt. Primùm enim eos cùm literarum impensè amantes, tum ipsos non vulgariter literatos esse consentaneum est, qui hominibus literatis familiariter uti gaudeant. Deinde fieri necesse est, ut in sermone isti literati eorum convivæ suum de aliis, qui habent aliquod in literis nomen, deque eorum ope-

ribus promant judicium, quod ipsi postea velut suum apud alios reddant, eoque pacto sui admirationem in eis alant & augeant. Postremò cum passim ab iis, quos jam sibi fecerunt obnoxios, laudibus extollantur, etiamsi postea sive iidem ipsi, sive alii eorum inscitiam casu aliquo deprehenderint, tamen possessione partæ jam opinionis frustra eos dejicere conentur. Quin immò periculum subeunt, ne ipsi potiùs aut levitatis aut invidiæ in se suspicionem commoveant, qui vel infamatum eant, quem paulò prius celebrarint, vel eundem hominem pariter in Jurisprudentia & politioribus literis excellere videri æquis animis concoquere non possint. Sed de artibus istorum hominum plus satis. Nunc ecce tibi Syllabum auctorum & librorum, quos eum legisse, partim etiam multum trivisse oportere censeo, qui consummatam Latini sermonis notitiam parare cupiat. Sed præmonitum te velim, me neque novissimas auctorum veterum editiones semper indicasse, quippe quas nondum viderim, neque etiam plerorumque Grammaticorum & Criticorum, qui nuperrimè extiterunt, nomina satis cognita habere. Illud quidem & novi & præstare audeo, editiones auctorum, quibus manum Gruterus admovit, esse omnium emendatissimas, ac ferè notis atque explanationibus doctissimorum virorum ornatas & instructas. Qui si Ciceronem totum sua & Jani Gulielmii industriâ & judicio recognitum nobis dederit, quod propediem se facturum nuper mihi per Davidem Hæschelium significavit, neminem paulò humaniorem futurum puto, quin vel aurea statuâ, quæ ingentibus ejus de re literaria promeritis sit monumentum, puncto suo dignum judicet. Vale, Augustæ Vindelicorum, ad diem XII. Junii, Anno M. DC. XVI.

AUCTO-

AUCTORES LINGUÆ LATINÆ:

Ætatis Aureæ.

M. Tullii Ciceronis opera omnia, cum Commentariis Manutiorum & aliorum. Venetiis in folio, anno 1583.

Ejusdem opera omnia, edente Alexandro Scoto. Lugduni in 12. anno 1588 quibus respondet Index Nizolianus ab eodem Scoto interpolatus, quem inscripsit, Apparatum Latinæ locutionis, in cujus priore editione prodigiosi errores magno numero inveniuntur, quos haud scio an in posteriore sustulerit. Eidem Indici respondet editio Lambini in folio. Genevæ 1616.

Ciceronis opera omnia correctissima ex Jani Gruteri recensione. Hamburgi 1620.

Ciceronis epistolæ familiares cum Freigii notis in 8. Francofurti apud Wechelium 1592.

Ciceronis orationum Tomi tres cum ejusdem Freigii notis in 8. Ibidem 1592.

Plauti Comœdiæ cum commentario Taubmanni in 4.

Terentii Comœdiæ cum commentario Donati & Eugraphii in 4. Parisiis 1602.

Augustini Gambarelli Index in Terentium. Bergomi in octavo.

Ennii Fragmenta collecta & illustrata ab Hieronymo Columna in 4. Neapoli 1590

Ennii Annales editi à Paulo Merula in 4. Lugduni Batavorum.

Lucilli fragmenta collecta à Francisco Dousa in 4. Lugduni Batavorum.

Fragmenta veterum Poëtarum edita ab Henrico Stephano in 8.

Fragmenta Historicorum collecta ab Antonio Augustino cum notis Fulvii. Ursini Antverpiæ in 8. apud Plantinum 1595.

Lucretii poëmata cum Commentariis Dionysii Lambini. Francofurt. in 8.

Lucretius cum indice & observationibus Oberti Gifanii in 8. Lugduni Batavorum.

Cæsaris opera cum variorum notis. Francofurti 1606. in 4.

Cornelii Nepotis liber cum Comment. Lambini & aliorum, editus ab Andrea Scotto in fol. Francof. 1608.

Catullus, Tibullus, Propertius cum Comment. variorum in fol. 1615.

Catullus, Tibullus, Propertius cum summi viri Joh. Passeratii notis & Commentario in Propertium. Parisiis in folio, anno 1608. & nisi fallor in 4. Hanoviæ.

Catullus, Tibullus, Propertius cum Indice Horatii Tuscanellæ. Basileæ in 8. 1592.

Varronis opera omnia cum notis Ant. Augustini, Josephi Scaligeri, Pet. Victorii, Parisiis in 8. anno 1585.

Varronis opera ex editione Ausonii à Popma. Lugduni Bat. in 8.

Varronis de lingua Latina editio nova recensente Scioppio in 8. Ingolstadii 1605.

Virgilii opera cum Comment. Servii ex bibliotheca Petri Danielis & G. Scioppii. Parisiis in fol. anno 1600.

Virgilii opera cum Comment. Jacobi Pontani Jesuitæ, qui nisi fallor libros Æneidos paraphrasticè exposuit, sicut prius Nicodemus Frischlinus Bucolica & Georgica: quod genus explanationis adole-

adolescentibus studiosis est utilissimum. Augustæ fol.

Virgilii opera cum Comment. Joan. Ludovici de la Cerda Jesuitæ doctissimi. Lugduni.

Joan. Pierii Valeriani Castigationes in Virgil. Romæ in fol. anno 1521. & Basileæ 8. 1541.

Varia lectio in Virgilium Paulo Gabiano Collectore. Brixiæ in 8. anno 1565.

Horatii opera cum Comment. Lambini & Theodori Marsilii. Paris. fol.

Salustii opera cum notis & comment. variorum, edente Jano Grutero in 8. Francofurt.

Livius ex editione Jani Gruteri 1609. & Francisci Modii. Francofurt.

Trogi Pompeji historiæ à Justino abbreviatæ cum Modii & Bongarsii notis. Francofurt. in 8.

Horatii opera cum paraphrasi Federici Ceruti. Veronæ in 4.

Virgilius cum Erythræi Indice in 8. apud Comelinum, anno 1599. & Francofurti anno 1583.

Cato, Varro, Columella, Palladius, rei rusticæ Scriptores cum Victorii, Ursini & aliorum notis. Heidelbergæ apud Comelinum in 8. anno 1593.

Catonis opera quæ extant ab Ausonio Popma collecta & restituta. Lug. Bat. 8. 1590.

Virgilii appendix cum Catalectis veterum Poëtarum & notis Jos: Scaligeri. Lug. Bat. 8.

Marci Vitruvii Pollionis de Architectura: & in eum Commentar. Guilielmi Philandri editus, ni fallor, Lugduni in 4. anno 1587. Item cum comment. Danielis Barbari. Venetiis in fol. an. 1567.

Bernardi Baldi Urbinatis de Vitruvianorum verborum significatione. Augustæ in 4. 1612.

Ovidii opera cum comment. variorum. Francofurt. in fol. anno 1601.

Ejusdem Metamorphosis, Tristia & de Ponto, cum Comment. Jacobi Pontani.

Ætatis Argenteæ.

CUrtii historia cum Francisci Modii & Valentis Acidalii Notis.

Vellejus Paterculus, à Jano Grutero recensitus, nisi fallor. Extant in eum notæ Aldi Manutii, Scheckii, Lipsii, Acidalii & Claudii Puteani.

Valerius Maximus cum Pighii, Lipsii, Coleri, forsan & Gruteri notis.

Cornelius Celsus de re Medica.

Dictys Cretensis de bello Trojano cum Josiæ Merceri notis. Parisiis.

Phædri Augusti liberti Fabulæ cum Rittershusii notis in 8. Lugd. Bat. anno 1597. & Parisiis cum Rigaltii notis.

Mythologici Latini, in quibus familiam ducit C. Julius Hyginus Augusti libertus, qui sæpius plebejam loquendi consuetudinem amplecti videtur, quod etiam patronum ejus facere solitum ex Suetonio & Charisio discimus. Editi sunt à Comelino in 8. anno 1599.

Senecæ Rhetoris & Senecæ Philosophi opera cum Pinciani, Mureti, Gruteri, Fabri, Jureti, Lipsii & Schotti notis. Parisiis, atque haud scio an & alibi edita.

Senecæ Tragœdiæ cum Commentario M. Antonii Del Rio.

Persii Satyræ cum Vineti, Pithœi, Marcilii &c. notis in 4. Parisiis, anno 1613.

Persius, cum Paraphrasi Federici Ceruti. Veronæ in 4 anno 1600.

Lucanus cum Commen. Hortensii & Joan. Sulpitii. Basileæ in fol. 1578.

Asconius Pedianus in Ciceronem, cum Hottomanni notis, Lugduni in 8. anno 1551.

Colu-

Columella cum Varrone & Palladio de re rustica, & in omnes Fulvii Ursini, Victorii, aliorumque notæ, apud Comelin. 8. anno 1593.

Pomponius Mela & Julius Solinus ex emendatione Andreæ Schotti in 4. Antverpiæ 1582.

In eundem Melam à se recognitum Petrus Ciaconius commentarium, si satis memini, reliquit, quem vidisse videor Madriti apud D. Joan. Fonsecam.

Persius cum Casauboni comment. Paris. in 8. anno 1615.

Petronius cum variorum notis & observationibus in 16. & 12. Lugd. Bat. & Parisiis.

M. Manilii Astronomicon libri quinque, cum Jos. Scaligeri comment. Paris. in 8. anno 1579.

Gratii Cynægeticon editum à Petro Pithœo. Parisiis inter poëmata vetera.

Ætatis Æneæ.

M. Fabii Quinctiliani Oratoriæ Institutiones à Gallandio editæ. Paris. in fol. 1549. aut Genevæ apud Jacobum Stoër in 8. anno 1604. unà cum Declamationibus eidem tribui solitis.

Juvenalis Satyræ cum Comment. & notis variorum. Paris. in 4. anno 1613.

Juvenalis cum paraphrasi Federici Ceruti. Veronæ in 4. anno 1599.

Plinii majoris historia naturalis à Jacobo Dalecampio recognita. Francofurt. in 8 anno 1608. donec prodeat Petri Ciacconii Toletani Plinius, qui superioribus annis apud Ludovicum Castellam servabatur, nunc, ut suspicor, est penes D. Joannem Fonsecam.

Plinii minoris epistolæ cum Commentariis Joan.

Mariæ Catanei. Genevæ anno 1600.

Plinii epistolæ & Panegyricus cum Minois & Casauboni notis.

Suetonius cum Torrentii, Casauboni, Gruteri, aliorumque notis & commentariis.

Tacitus cum variorum notis, editus à Jano Grutero in 8. Francofurt. anno 1607. aut in fol. Parisiis 1608.

Flori historia cum variorum notis & castigationibus, in 8. apud Joan. Vignonium & Hieron. Comelinum. Puto editum etiam à Grutero.

Statii poëmata cum veteris Grammatici commentario ex bibliotheca Fr. Pithœi. Parisiis in 4. anno 1600.

Statius unà cum omnium veterum & novorum comment. & notis. Parisiis in 4. anno 1618.

Valerius Flaccus cum Ludovici Carrionis notis. Antverpiæ in 16. apud Plantinum.

Sulpitiæ Satyra reperitur in libello, quo continentur Epigrammata & poëmata vetera ex bibliotheca, ni fallor, Petri Pithœi, edito Parisiis in 16. anno 1590.

Martialis cum Indice & Commentar. variorum. Parisiis in 4 anno 1601.

In Martialem scripserunt etiam Raderus, Ramirez, Gruterus, alii.

Silius Italicus cum doctissimi pueri Danielis Heinsii Crepundiis. Lugduni Batavorum, apud Raphelengium.

Solinus editus à M. Antonio Del-rio. apud Plantinum & cum Mela Schotti, 1582.

Frontini Stratagemata edita sunt unà cum Vegetio, Parisf. in 4. anno 1607.

Ejusdem de Aquæductibus & Coloniis libelli editi sunt ab Onuphrio Panvinio in Commentariis reipub. Romanæ. Parisf. in 8. anno 1588.

Ætatis

Ætatis Ferreæ.

A Gellii, quem vulgò Aulum Gellium vocant, Noctes Atticæ cum Henrici Stephani animadversionibus. Parisiis in 8. anno 1585.

Apuleji opera cum Petri Colvii Notis. Antverpiæ in 8. apud Plantin. anno 1588.

Apulejus cum Beroaldi comment. & notis Stevechii in 8. Basileæ.

Apulejus cum Vulcanii notis in 8. Lugduni Batavorum anno 1594.

In Apuleji opera Symbola Critica Scioppii in 18. Augustæ 1605.

Tertullianus cum comment. Jacobi Pamelii & aliorum notis. Colon. in folio anno 1617. & Parisiis 1516.

Arnobius & Minutius Felix emendati à Petro Ciacconio & Fulvio Ursino. Romæ in 4. anno 1583. quorum plerasque conjecturas alii postea in Belgio pro suis venditarunt.

Vegetii & Frontini militaria cum Comment. Godescalci Stevechii &c. in 4. Parisiis an. 1607.

Vegetii de re veterinaria sive Mulo medicina, edente Johan. Sambuco in 4. anno 1574.

Panegyrici duodecim à Grutero, Acidalio, & Rittershusio recogniti. Francofurti in 16. anno 1607.

Rhetores antiqui ex bibliotheca Frat. Pithoei, quorum Rutilius Quintiliano est antiquior. Parisiis in 4. anno 1599

Lactantius cum Michaëlis Thomasii notis. Antverpiæ in 8. anno 1568.

Censorinus de die Natali cum Aldi Manutii notis. Venetiis in 8. anno 1611.

Aurelius Victor cum Andreæ Schotti notis. Antverpiæ 1579. in 8.

Symmachi epiſtolæ cum Gaſp. Scioppii notis. Moguntiæ in 4. anno 1608. cumque Fr. Jureti comment. Paris. in 4. anno 1604.

Macrobius cum Joannis Iſacii Pontani notis. Lug. Batavorum in 8. anno 1597.

Auſonius cum Eliæ Vineti Comment. in 4. cumque Joſ. Scaligeri notis in 8. aut 16.

Prudentius cum Victoris Giſelini notis in 8. Antverpiæ.

Claudianus cum M. Antonii Del-rio notis. Antverpiæ in 8

Calphurnii & Nemeſiani poëmatia: Robertus Titius cum notis edidit. Florentiæ in 4. quæ quoque extant inter Epigrammata & poëmatia vetera edita Pariſiis in 16. anno 1590.

Ammianus Marcellinus editus à Lindenburgio Hamburgi in 4. anno 1609

Julii Obſequentis de Prodigiis. Lugduni in 16. anno 1588.

Apicius de re Culinaria cum Gabrielis Humelburgii notis. Tiguri in 4.

Martianus Capella cum Hugonis Grotii notis. Lug. Batavor. in 8. anno 1600

Iulii Firmici de errore profanarum religionum, editus à Ioanne Woverio, Hamburgi 8. anno 1603.

Boëthius de Conſolatione Philoſophiæ, editus à Ritterſhuſio, Lug. Batavorum 1600.

Q. Sereni Sammonici carmen de Medicina: extat inter poëmatia vetera, Pariſiis anno 1590. edita, ut & Rutilii Itinerarium & Sympoſii Ænigmata, quæ poëmata ſeparatim quoque extant.

Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, Spartianus, Lampridius, Trebellius Pollio, Capitolinus, Vulcatius

tius

tius & Vopiscus, cum doctissimis Isaaci Casauboni, & literarum principis Claudii Salmasii Comment. qui Salmasius multa alia edidit, quæ doctorum omnium puncta tulerunt, sed mihi necdum visa.

Ætatis incertæ aut variæ.

AUctores finium regundorum cum Nicolai Rigaltii observationibus, qui etiam de singulorum ætate in præfatione monet. Editi Parisiis in 4. anno 1614.

Medici Latini veteris Cælius Aurelianus, qui Galeno antiquior videtur. Scribonius Largus, & Marcellus Empiricus extant in corpore Medicorum edito Genevæ.

Inscriptionum antiquarum volumen ingens Iani Gruteri apud Comelinum in fol. anno 1602,

Grammatici & Critici veteres.

VArro & Pedianus non modò Grammatici sunt, sed etiam auctores linguæ, quos quis tutò imitetur, præterquam ubi nimis antiquarius est Varro, & Pedianus à posterioribus interpolatus. Agellius ei, qui confirmati sit judicii, etiam ipse aliquid imitatione non indignum suppeditare queat. Posterioribus tantum creditur, quantum ex locupletium auctorum scriptis probant.

Festus ex Verrio Flacco de verborum significatione cum Augustini, Scaligeri, Ursini & aliorum notis. Paris. in 8. anno 1584.

Nonius Marcellus, & Fulgentius Placiades, cum variorum notis. Paris. in 8. anno 1583. item 1614.

Ser-

Servius in Virgilium ex bibliotheca Petri Danielis. Paris. anno 1600.

Philargyrius in Virgilium conjunctus est cum Daniele Servio, editus priùs à Fulvio Ursino, cum notis in scriptores rei rusticæ. Romæ in 8. anno 1587.

Donarus & Eugraphius editi sunt cum Terentio in 4. Paris. anno 1602.

Acron, seu quisquis est Horatii vetus scholiastes, editus est à Jacobo Cruquio cum Horatio in 4. Antverpiæ apud Plantinum.

Scholiastæ veteres in Persium & Juvenalem editi sunt cum ipsis auctoribus. Parisiis in 4. anno 1613. & apud Comelinum in 8. 1590.

Interpres vetus Statii cum ipso Poëta editus est Parisiis in 4. anno 1600. & 1618.

Grammatici & Critici recentiores.

CHarisius, Diomedes, Priscianus, Victorinus, Terentianus, Longus & alii simul editi sunt ab Helia Putschio in corpore Grammaticorum. Hanoviæ in 4. anno 1605 quorum nonnulli inter veteriores locum habere possunt.

Grammatici & Critici Novissimi.

GLossaria Philoxeni & aliorum cum B. Vulcanii notis. Lugd. Batavorum in folio.

Glossæ Isidori cum reliquis ejus operibus editæ sunt etiam cum Philoxeno.

Glossæ Placidi unquamne typis descriptæ exierint, nescio.

Thesaurus linguæ Latinæ quatuor Tomis. Lugduni in fol. 1573. Hoc Lexicon est omnium optimum

mum, etsi nec paucis, nec levibus erroribus vacuum. Proximè accedit Forum Romanum Cælii Curionis, ni fallor, tribus Tomis, Basileæ in fol. Et Theodosii Trebellii Promptuarium itidem Basileæ, anno 1545. editum: tum Thesaurus sive Ærarium Latinæ linguæ à Ludovico Lucio Francofurti fol. 1613. Sed ridiculum verèque Abderiticum est de Scriptoribus Latinis judicium nescio cujus, inter inelegantes & imperfectos Plautum, Terentium, & Lucretium, inter perfectos autem & elegantissimos Varronem, & Sallustium, inter postremos & deficientes Valerium Maximum, Senecam, & Curtium, velut Apuleji æquales recensentis.

Ambrosii Calepini Lexicon quovis superiorum est deterius, etiam illud, cui avaritia Typographi nomen Joan. Passeratii cum maxima doctissimi viri injuria præscribere nihil dubitavit.

Nizolii in Ciceronem Index à Iacobo Cellario recognitus. Basileæ in fol. 1595.

Roberti Constantini supplementum linguæ Latinæ. Lugduni in 4. anno 1573.

Barnabæ Brissonii Lexicon Juris. Parisiis in fol.

Ejusdem de Formulis sive solemnibus populi Romani verbis. Francof. in 4.

Adriani Junii Nomenclator in 8. Antverpiæ & Francof.

Hadriani Cardinalis de sermone Latino. Coloniæ in 8.

Francisci Sylvii Progymnasmata in artem Oratoriam. Venetiis in 8. anno 1548. & Coloniæ in 12. anno 1589.

Antonii Schori Phrases linguæ Latinæ. Argentinæ, & Coloniæ in 8.

Christiani Becmanni Origines linguæ Latinæ. Witebergæ in 8. anno 1613.

Q. Ma-

Q. Marii Corradi de lingua Latina. Bononiæ in 4. anno 1575.

Ejuſdem de copia Latini ſermonis. Venetiis in 8. anno 1582.

Thomæ Linacri de emendata ſtructura Latini ſermonis.

Laurentii Vallæ elegantiæ Latinæ linguæ.

Ejuſdem Antidotus in Pogium, Raudenſem, & Facium; unà cum Elegantiis. Baſileæ 4.

Auguſtini Saturnii Mercurius major. Baſileæ in 8. anno 1646.

Julii Burdonis, qui ſe Julium Cæſarem Scaligerum vocat, de cauſis linguæ Latinæ. Lugduni in 4. anno 1540. & apud Comelinum in 8. an. 1609.

Franciſci Sanctii Brocenſis Hiſpani Minerva, ſive de cauſis linguæ Latinæ: quo libro meruit auctor communis literatorum omnium pater & doctor appellari. Salmanticæ in 8 anno 1587.

Ejuſdem Latina Grammatica omnium abſolutiſſima eademque breviſſima. Salmanticæ in 8. an. 1587.

Ejuſdem Annotationes ad Virgilii Bucolica. Salmanticæ in 8. anno 1591.

Ejuſdem Paradoxa & de Auctoribus interpretandis ſive de Exercitatione. Antverpiæ apud Plantinum in 8. anno 1582.

Ejuſdem Pentecontarchus à Laurentio Ramirez de Prado alicubi interpolatus, & editus Antverpiæ in 4. anno 1612.

Nicodemi Friſchlini Grammatica Latina. Francof. in 8. anno 1599.

Auſonii Popmæ de differentia verborum deque uſu antiquæ locutionis. Lugduni Batavorum in 8. anno 1606.

Godeſcalci Stevecchii de particulis linguæ Latinæ. Coloniæ in 8. anno 1581.

Ho-

Horatii Tursellini de particulis linguæ Latinæ. Romæ & Moguntiæ in 16.

Thesaurus Criticus editus à Jano Grutero, cujus primo Tomo continentur opuscula Critica Angeli Politiani, M. Antonii Sabellici, Philippi Beroaldi Domitii Calderini, Joan. Baptistæ Egnatii, Joan. Baptistæ Pii, Cornelii Witelli, Jacobi à Cruce, Pii Antonii Bartolini, Iani Parrhasii, viri in Latinis ac Græcis literis consummatissimi, maximoque cùm acumine, tum judicii elegantia prædití, Francisci Floridi, qui & ipse non facilè cuiquam literatorum sit secundus, Laurentii Abstemii, Lucii Ioannis Scoppæ, Ptolomæi Flavii, Petri Nannii, & Francisci Robortelli. Francofurti in 8. anno 1602.

Thesauri Critici Tomus secundus, in quo sunt opuscula Fr. Robortelli, Caroli Sigonii, Antonii Bendinelli, Bernardini Realini, Lilii Gyraldi, Ioan. Brodei, Christophori Rufi, Ioan. Hartungii, Petri Pithœi, Lucæ Fruterii, Achillis Statii, M. Antonii Mureti & Hieronymi Magii. Francof. in 8. anno 1604.

Thesauri Critici Tomus tertius, in quo sunt opuscula Pauli Leopardi, Bartol. Barrienti, Francisci Luisini, Gulielmi Canteri, Theodori Canteri, Ludovici Carrionis, Jani Durantii Casellii, Jani Gulielmii & Marsilii Cagnati. Francofurti in 8. anno 1604.

Thesauri Critici Tomus quartus, in quo sunt opuscula Joan. Brodæi, Ioachimi Camerarii, Aldi Manutii, Adriani Iunii, Iosephi Castalionis, Iani Melleri Palmerii, Ioan. Iacobi Schekkii. Francof. in 8. anno 1605.

Thesauri Critici Tomus Sextus, in quo sunt opera Valentis Acidalii & Marcelli Donati, hominis semidocti quidem, sed industrii. Francof. in 8. anno 1606.

The-

Thesauri Critici Tomis secuturis comprehendi poterunt opuscula Budæi, Brissonii, Petri Fabri; Nicolai Fabri, Petri Pithœi, Andreæ Alciati, Antonii Augustini, Petri Ciaconii, Fulvii Ursini, Sebastiani Corradi, Antonii Riccoboni, Jos. Castalionis, Andreæ Schotti, Hieron. Mercurialis, Scipionis Gentilis, Desiderii Heraldi; Martini de Royas, Roberti Titii, Erycii Puteani, Philippi Rubenii, Henrici Stephani, Joannis Meursii, & ipsius in primis Gruteri Suspicionum libri, tum aliorum recentiorum, quos mihi nondum videre contigit.

Nicolai Loënsis Miscellanea. Francofurti in 8. anno 1607.

Adriani Turnebi opera. Argentinæ in fol. anno 1600.

Petri Victorii variæ lectiones.

Jacobi Cujacii opera.

Justi Lipsii opera.

Iosephi Burdoscaligeri opuscula posthuma. Paris. anno 1610.

Claudii Salmasii opera omnia.

Ioannis Rosini antiquitates Romanæ ex variis collectæ cum Dempsteri auctario.

Ioannis Glandorpii Onomasticum historiæ Romanæ. Francof. in folio, anno 1589.

Lexicon Philologicum Matthiæ Martini. Bremæ in fol. anno 1623.

Onuphrii Panvinii Imperium & Respub. Romana.

Petri Iohannis Nunnesii Grammatistica & Grammatica Græca.

Alexandri Scoti Grammatica Græca.

CON-

CONSULTATIO TERTIA,

De Scholarum Claſſicarum Informatione.

PRimùm conſtituendus eſt proximus harum Scholarum Finis, tum qua vià ad eum quàm compendioſiſſimè perveniri queat, conſiderandum.

Finis eſt, ut qui jam legere Latinè didicerunt & ad Scholas accedunt, uno quadriennio non modò linguam Latinam probè intelligant, & cùm Grammaticæ Regulis, tum auctorum conſuetudini congruenter Latinè ſcribant, ſed etiam Logicam, Rhetoricam, Phyſicam, & Metaphyſicam; hoc amplius autem Ethicæ & Politicæ elementa ſic addiſcant, ut idonei ſint, qui Profeſſoribus Academicis Philoſophiam, Theologiam, Juriſprudentiam, & Medicinam docentibus multò, quàm alii, meliùs & fructuoſius operam dare poſſint. Simul tamen priore biennio in Doctrina Chriſtiana ſic erudientur, ut Catholicæ fidei fundamenta firmiſſimè teneant, nulloque negotio ejus, quod credunt, rationem reddere, & Hæreticis, ſicubi uſus veniat, ſilentium poſſint imponere.

Medium ejus finis conſequendi eſt cùm Scholarum, tum Magiſtrorum informatio.

Informatio Scholarum.

Scholarum quatuor claſſes ſunto.

PRima, qua primo anno diſcantur priùs Nominum & Verborum Paradigmata, tum Mercurii bilinguis ſententiæ per octo vel

novem menses; reliquis tribus aut quatuor mensibus discantur Grammaticæ Rudimenta, sive Regulæ Etymologiæ & Syntaxeos. Omnibus autem Sabbatis aliquid edíscent ex libello Erotematum de Fidei Catholicæ fundamentis, Pontificis & Imperatoris auctoritate in Germania edito.

Secunda, qua secundo anno prælegantur faciliores Ciceronis epistolæ, Cornelii Nepotis vitæ, Terentii Comœdiæ, Ovidii Tristia & de Ponto, & Phædri fabulæ Æsopicæ. Simul etiam explicabuntur regulæ Prosodiæ, & omnibus Sabbatis aliquid de fidei Catholicæ fundamentis proponetur: quotidie autem de vernaculis Latina facta corrigentur.

Tertia, qua tertio anno discatur illa pars Propædiæ Logicæ, quæ ad Rhetoricæ intelligentiam est necessaria, idque tribus mensibus: tum integra Propædia Rhetorica sex mensibus, tandem quæ in Logicis sunt reliqua unà cum Pervigilio bonæ mentis, sive Introductione in Ethicam, & Physicis Institutionibus. Simul autem quotidie exercebuntur Latinè scribendo, id est, ex vernaculis Latina faciendo una hora. Quorum ingenia à poëticis non abhorrent, etiam versibus scribendis exercebuntur.

Quarta, qua quarti anni primo semestri Systema Physicum, altero Metaphysicum auditoribus sine ulla dictatione declaretur, simulque auditores Analysi & Genesi exerceantur, ut nimirum in Ciceronis orationibus, Horatii Odis, Propertii Elegiis & Logicum & Rhetoricum artificium explicent, propositoque sibi epistolæ, orationis aut carminis argumento, ipsi suo Marte aliquid componere assuescant. Simul autem Politicæ elementa, & adjumenta, id est, Chronologiam & Geographiam cognoscent, si eis Tursellini Historiarum

rum epitome prælegatur, & ex Physico Systemate ea declarentur, quæ ad Cælestem & Terrestrem mundi Sphæram sive globum pertinent.

Qui discipuli ad quas Scholas admitti debeant.

QUicunque ad Scholas admitti postulat primum omnium explorabitur, num Ciceronis epistolas Marte suo interpretari sciat. Si sciat, admittetur ad secundam classem, ubi nullo negotio Syntaxeos regulas & figuras edifcet; ac Latinè scribendo exercebitur, donec ad tertiam classem translatus Logicæ & Rhetoricæ operam dare possit. Sin nesciat, in prima classe retinendus erit, donec omnes Mercurii sententias intelligat, nominaque omnia ac verba inflectere, cum Etymologiæ & Syntaxis regulis didicerit.

Quod si jam alibi Rhetoricam didicit, in tertiam admittetur, ut Logicam discat, & postea per Analysin & Genesin exerceatur.

Informatio Magistrorum.

DEcem omnino Magistrorum opera in Scholis istis requiritur.

Grammatistæ duo, unus Doctor, alter Exactor seu Repetitor: quorum munus erit, ut in prima classe Paradigmata, Sententias, & Grammaticæ Rudimenta doceant.

Grammatici tres in secunda classe, unus Auctorum interpres, duo Correctores sive emendatores styli, qui quotidie Compositiones discipulorum corrigant, indicando eis, si quid cum Etymologiæ aut Syntaxeos præceptis non congruat.

Doctor Logicæ & Rhetoricæ in tertia classe,

idemque exeunte anno mystagogus sive introdu-ctor in Ethicam & Physicam.

Philosophus Physicus & Metaphysicus in quarta classe: cujus etiam erit exeunte anno auditoribus declarare Sphæram cœlestem & terrestrem, & historiarum epitomen prælegere, tum Politicæ elementa præcipere.

Rhetores duo in quarta classe, alter Analyseos seu Resolutionis, alter Geneseos seu Compositionis. Resolutionis Magistri hoc opus habebunt, ut quotidie veterum auctorum opera interpretentur, & Logicum ac Rhetoricum in iis artificium ostendant, ut appareat discipulis, quomodo auctores antiqui artis Logicæ & Rhetoricæ præceptis in scribendo usi fuerint. Compositionis Magistri hoc opus habebunt, ut compositionum argumenta seu materias discipulis dictent, & corrigant, quæ illi seu versa aut ligata, seu prosa aut soluta oratione conscripserint.

Catechistes, idemque Sacerdos Pœnitentiarius, sive à Confessionibus, cujus munus erit omnibus Sabbatis Erotemata de fidei Catholicæ fundamentis præcipere & interpretari in prima & secunda classe.

Indiculus librorum, quibus Magistros instructos esse oportet.

OMnes illi Latini auctores, quorum Syllabus in secunda Consultatione fuit expositus.

Ciceronis epistolæ familiares cum Johannis Thomæ Freigii notis, item cum Italica interpretatione Fabrini.

Terentius Fabrini.

Horatius Fabrini.

Virgilius Fabrini.

Cice-

Ciceronis orationes, cum Freigii annotationibus.

Ciceronis epiſtolæ & orationes cum Manutii Commentariis.

Huberti Gifanii Obſervationes linguæ Latinæ.

Hadriani Cardinalis de Latino ſermone.

Antonii Schori Phraſes linguæ Latinæ.

Manutii Elegantiæ.

Ærarium ſive Theſaurus linguæ Latinæ Ludovici Lucii.

Calepinus Johannis Paſſeratii.

Nizolii Index in Ciceronem.

Baſilii Fabri Theſaurus Scholaſticæ eruditionis.

Onomaſticon Romanum.

Ludovici Vivis Dialogi, ſive Exercitationes linguæ Latinæ.

Franciſci Sanctii Brocenſis Minerva ſive de cauſis linguæ Latinæ.

Gaſp. Scioppii opera Philologica, & Philoſophica.

De Lingua Græca.

QUoniam in Italia Græcæ linguæ doctores vix inveniuntur, ac ſi qui ſunt, ſoli in ſcholis relinquuntur, otioſum & inane mihi viſum eſt de Linguæ illius diſcendæ rationibus quicquam hîc afferre. Si qui tamen ſunt, quos Sapientiam & Prudentiam ex ipſo Græcorum ore haurire juvat, omnia verò Interpretum fidei credere diſpudet, eis auctor ſum, ut cum Januæ linguarum, ſeu Mercurii ſententiæ Græcè converſæ exierint (ſicut propediem eas unà cum Hebræa verſione exituras confido, ac jam ſub prælo eſſe audio) eandem iis addiſcendis rationem obſervent, quam à Mercurio Bilingui Latinam diſcere aventibus præmonſtra-

monstratam videbunt. Græcam Tschonderi Grammaticam qui nancisci poterit, magno Paradigmata multasque regulas ediscendi labore levatum se lætabitur.

CONSULTATIO QUARTA,

De Causis Grammaticæ Philosophicæ in Scholas inducendæ:

SIVE

Septem Rationes, quæ conscientiis Episcoporum religionem, sive scrupulum injicere debent, ne veterem Grammaticam diutius in scholis tolerare, sed novam in eas introducere velint.

I.

VEtus Grammatica plena est fraudibus & mendaciis. Turpe verò est permitti, ut pueris tantus mendaciorum numerus à Magistris, præcipuèque Clericis instilletur.

Animadversio.

EXempli gratia: *Nomina arborum & urbium sunt generis fœminini.* Hoc manifestè falsum est, cùm & ratio philosophica, & locupletum scriptorum auctoritas vincat, istiusmodi nomina non habere genus, nisi ex regula terminationis, vel vi significationis. Ut *Mediolanum magna* dicitur, quia significatur & subauditur *Urbs*, cùm alioqui vi terminationis Mediolanum sit genere neutrum. Sic Virgilius *Altum Praneste* dixit, significans *Oppidum*; & *Sub ipsa Praneste*, significans *Urbem*. Ita *Hæc Corinthus* dicitur, quòd *Urbs* significetur, cùm alioqui *Corinthus* per terminationis regulam sit Masculinum,

linum, quomodo à Propertio & Vellejo usurpatum videmus. Priscianus lib. 5. testatur, veteres dixisse: *Hic cupressus, platanus, laurus, ulmus, populus*, propter terminationem: eadem tamen ut fœminina efferuntur propter significationem, cùm *Arbor* in iis significetur. Hac de re videatur Grammatica Philosophica pag. 108. An ergo non erubescendum est Christianis, quod pueros cogunt mendacia credere & ediscere? Nec refert, quod mendacia ista sint de rebus frivolis: Nam saltem mentiendi consuetudo non est frivola, cùm sit homine Christiano prorsus indigna, nec ejus culpam ulla vel necessitatis, vel utilitatis elevet excusatio. Ac tantò nunc turpius est mendacia illa tolerare, postquam eorum falsitas publicè fuit retecta & convicta. Nec enim jam ignorantia quemquam culpâ liberat, cùm præsertim planum factum sit, quantum detrimenti privatim ac publicè importet, omnis liberalis doctrinæ fundamentum in mendaciis jecisse.

II.

Veteris Grammaticæ mendacia ingentibus & supervacuis laboribus juventutem onerant, & ingenia excarnificant.

Animadversio.

Nimirum in Emanuële Alvaro de sola Syntaxi Nominum, Verborum, & Participiorum quingentæ inveniuntur Regulæ cum tot Exceptionibus, Appendicibus, & Observationibus, ut discentem videantur ad insaniam aut suspendium posse adigere. quod contrà Grammaticæ philosophicæ *Syntaxis regularis* quindecim regulis absolvitur, idque sine ulla exceptione. Itaque nihil est factu proclivius, quàm ut pueri, etiam illi, qui aliam quamvis Grammaticam jam didicerint,

rint, unam indies regulam edifcant, quod homo ætate jam provectior, nec philofophica ignarus, vel una horâ fecerit, fine ullo regulas oblivifcendi periculo. Aliis quindecim diebus pueri in difcenda *Irregulari* feu *Figurata Syntaxi* occupabuntur: quo facto omnium quæ in Latinis auctoribus inveniuntur rationes expeditius reddent, quàm non modò Jefuitarum difcipuli, fed ipfi etiam Magiftri, immo verò quàm quivis alius, qui vel triginta annos in linguæ Latinæ ftudio & exercitio confumferit.

III.

Eadem mendacia plurimum temporis auferunt difcipulis, quod vel ftyli exercitio, vel aliis difciplinis utiliùs tribuerent.

Animadverfio.

OBfervato difcendi ordine, quem novæ Grammaticæ auctor præfcribit, ut prius fcilicet ope ac beneficio noviciæ inventionis octo aut novem menfibus pueri Latinam linguam intelligere difcant, tum ad Grammaticam accedant, omnium primum pueri unius anni ftudio cùm linguæ intelligentiam, tum Grammaticæ memoriam confequentur. Deinde alio anno legendis facilioribus linguæ auctoribus, & fcribendo exercebuntur, ficque idonei fient ad fcholas Philofophiæ, Jurifprudentiæ, & Theologiæ Practicæ, five Cafuum Confcientiæ, modò per ætatem alioqui fint capaces. Tertio anno priùs *Logicam Scioppii*, tum *Rhetoricam* addifcere poterunt. Cujus rei experimentum in mediocris ingenii puero Germano fexdecim annos nato captum fuit, qui duobus folis menfibus Logicam & Rhetoricam perfectiffimè edidicit, & ad publicas Philofophorum acroafes admiffus longè melius Magiftrum intellexit, quàm alii,

alii, qui jam Curriculi philoſophici dimidium confecerant. Quarto anno *Pædia Scioppiana Phyſicam & Metaphyſicam* ſic addiſcent, ut rerum multò plus ſciant, quàm aliarum ſcholarum diſcipuli, tametſi non æquè exercitati erunt in nonnullis Quæſtionibus; quarum tamen nullus uſus eſt, niſi ei, qui eaſdem in ſcholis alios docere, aut de iis altercando exerceri velit. Ita quatuor annorum ſpatio, qui nec verbum Latinum intellexerat, cùm Latinè minimè vulgariter doctus, tum in omni Philoſophia ſatis exercitatus invenietur: neque id alia ex cauſa, niſi quia tempus prudenter fuit diſpenſatum, neque vel falſis, vel obſcuris, vel longis, vel confuſis, vel otioſis & ſupervacuis præceptis inutiliter conſumtum. Jam igitur Epiſcopi cogitent, quam Chriſto pro ſe rationem reddituri ſint, qui juventutem tanto tempore defraudari patiuntur, cum ignorare haud poſſint, temporis jacturam eſſe omnium graviſſimam, omninoque irreparabilem, ac nullo auri pondere exæquari poſſe.

IV.

Eadem Grammaticæ veteris mendacia innumerabilium hominum marſupia exenterant, qui non ſine maximo rei familiaris intertrimento complures annos in Grammatico pulvere conſumunt.

Animadverſio.

Vix quiſquam eorum, qui ad ſcholas publicas erudiendi gratia mittuntur, ante exactum ſeptimum annum id conſequitur, ut quamcunque Ciceronis epiſtolam Marte ſuo interpretari, & omnium quæ legit rationes reddere queat. At enim uno ſolo biennio id eis contingere poteſt, qui nova Grammaticâ utentur. Quicquid ergo nunc pecuniarum in quinquennii victum

ab eis expensum fertur, ejus jacturam Episcoporum culpa faciunt, qui eos frugibus divino beneficio inventis adhuc in silvas amandant, & concussâ quercu glandes legere & porcorum convivas fieri subigunt.

V.

Eadem mendacia plurimorum ingenia ab omni literarum & scientiarum studio deterrent, qui propter ingentem numerum Regularum, Exceptionum, Appendicum, & Observationum priùs oderunt studia, quàm noverint.

Animadversio.

FIeri non potest, quin celerem habeat satietatem fastidiumque afferat, quod cùm magno, tum diuturno labore comparatur, nec ulla ferè aut varietate seu novitate distinguitur, aut fructus se ostendentis specie mitigatur. Septem ferè annos pueri in præceptis Grammaticæ discendis & repetendis conterunt, & in præceptis quidem obscuris, confusis, supervacuis, ingentique Exceptionum numero restrictis, cùmque Memoriam quotidie onerent, interea nec Mentem aut Intellectum rerum notitiâ alunt, nec objecta aliqua boni vel commodi parti specie labores, quos adhuc sibi capiendos vident, lenire possint. Nec enim eis apparet, quantum quotidie discant, nec aliorum exemplis ad benè sperandum excitantur. Cùm enim Jesuitæ glorientur, se in Europa circiter ducenta discipulorum millia habere, ex tanto numero quotus tandem quisque continuis septennii laboribus apud eos exhaustis plebi se exemit, ac virorum Latinarum literarum laude clarorum cætui inseruit? Nimirum in ipsa quoque Societate non temerè decem Patres invenerint, quibus operæ in

scholis

scholis aliud fuerit pretium, nisi ut Grammaticè scriberent, & barbarismis ac solœcismis potiùs dictio eorum vacaret, quàm ullam Elegantiæ commendationem adferre deberet. *Famianus* certè *Strada*, cui suffragiis suis Jesuitæ in Latinè scribendo primas sine controversia deferunt, nihilque nisi mellitos verborum globulos & omnia dicta sesamo ac papavere, vel potiùs cælitum nectare & ambrosia in scriptis ejus sparsa & imbuta inveniri contendunt, nondum fœdas barbarismi & solœcismi notas sibi impressas eluit, ac fortasse non de nihilo veretur, ne mox Historiæ suæ idem ipsum usu veniat, quod nuper Maffejo: cujus stylum vitiis ne in linguæ quidem tirone ferendis scatere, in *Scioppii Rhetoricæ fragmento* Mediolani edito demonstratum vidit. Cùm ergo discipuli eorum in ipso disciplinæ aditu tantum amaritudinis experiantur, nec inter tot annos ex tantis suis laboribus voluptatis quicquam capiant, si præsertim difficiles, morosos & plagosos nacti sunt Magistros (quales ferè sunt, quos obscuro & plebejo natos loco ista scholastici imperii species & juris epheborum natibus reddendi provincia inflare, & feroces suique ignorantes facere solet) vix animum inducunt, ut aliarum scholarum periculum faciant, & in discenda Philosophia aliisque scientiis laborem ultrà capiant. Hujus verò rei nullum in iis scholis timendum est periculum, in quibus Grammaticæ novæ locus dabitur. Nam nec Præcepta artis quicquam habent difficultatis, & quamvis in Magistro non sit plus scientiæ, quàm in iis, quos Jesuitæ in cathedris collocant; si tamen ordinem præscriptum in docendo observet, fiet ut non modò nullum pueris tædium ediscendi labor afferat, sed etiam ut ipsi quotidie fiant ad nova combibenda avidiores. Nimirum post Nominum & Verborum Paradigmata

gmata unius, aut ad summum duorum mensium labore memoriæ mandata sententias morales in *Mercurio bilingui*, seu *Janua linguarum* positas discere incipient, ita quidem ut quotidie Nomina & Verba in decem sententiis comprehensa declinare & conjugare (Magistro quos quodque Nomen casus à Paradigmatis differentes, & quæ quodque Verbum præterita ac supina habeat, indicante) & pridianæ lectionis sententias memoriter recitare jubeantur. Iste labor non modò minùs pueris gravis aut molestus, sed hoc etiam nomine gratus accidet, quòd quotidie circiter quadraginta aut quinquaginta nova vocabula in decem illis sententiis inclusa addiscent, seque indies tantò doctiores fieri intelligent, ac velut laboris sui fructum adspicientes alacriùs quod reliquum est laboris perferent. Et uno quidem quadrimestri tantum fecerint lucri, ut circiter quinque millia vocabulorum intelligant, & declinare ac conjugare noverint, quorum alia sunt, quæ vocant, *Fundamentalia* (quibus scilicet multorum aliorum vocabulorum intelligentia velut Fundamento innititur) alia *quotidiana*, alia denique *rara*. Hoc ita gesto Magister omnium Nominum & Verborum *Conjugata*, id est, primitiva & derivativa, simplicia & composita, pueris dictabit (nisi tamen interea nonnemo ea typis descripta emiserit, quod sanè multò foret conducibilius) eaque cùm in schola, tum domi sæpius legere jubebit, instituto etiam provocantium se certamine: cujus usus erit, ut alios gloriæ studium ad discendum exacuat, alii certaminis arbitri ea, de quibus contenditur, non minùs memoriæ infigant, quàm in aures admittant. Ita septimo aut octavo pòst mense, quàm sententiis illis occupari cœperint, circiter quindecim millia vocabulorum Latinorum intelligent, & quamcunque Ciceronis epi-

stolam

ſtolam facilè interpretabuntur, quod aliarum ſcholarum diſcipuli, quamvis doctiorem Magiſtrum ſortiti, vix ſeptimo anno conſequentur. Adeò docendi modo modus intereſt, etiam ubi Magiſtri inter ſe pares ſunt, pares etiam ingenio & ſtudio diſcipuli. Poſtquam verò linguæ Latinæ notitiam ſic adepti fuerint, ad Artis præcepta admittentur, quæ ſunt *Sexaginta verſus* Hexametri de Nominum generibus, & *Octoginta* de caſibus ſeu declinationibus, quibus omnes Etymologiæ Regulæ cum omnibus ſuis Exceptionibus includuntur: quas duabus hebdomadis memoriæ mandare poterunt. *Regulæ* verò *Syntaxeos* non ſunt niſi quindecim, ſine ulla Exceptione, Appendice aut Obſervatione, ut nullam prorſus iis ediſcendis experturi ſint difficultatem, ſicut nec in *Figurata Syntaxi*, quam ad verbum ediſcere nihil attinet; ſed ſatis eſt, eos exempla ibi recitata ſæpius relegere, atque inter ſecundi anni exercitium, cum ſcilicet auctores eis explanabuntur, figurarum ſubinde in memoriam à præceptore revocari. Tantò autem amplius in ſecundo anno capient voluptatis, quantò minoris moleſtiæ eſt in eo, quod faciendum didicerunt, exerceri, quàm diſcendo memoriam onerare, cum præſertim legendis notæ melioris auctoribus, Cicerone, Terentio, Nepote, Phædro, Ovidio, ac ſimilibus, penum ſuam literariam quotidie multis verbis lectis inſtruent, ac pedetentim non modò diligenter & eleganter, ſed etiam ornatè & copioſe ſcribere incipient.

Quod ad verſus de *Præteritis & Supinis* attinet, puto linguæ tyrones nihil damnifacturos, ſi eos non ediſcant. Jam enim inter ediſcendas ſententias quæ quorumque verborum præterita & ſupina eſſent, Magiſtri indicio & monitu eos cognoviſſe pono: quorum

quorum memoriam quotidiana lectio & scriptio facilè conservaverit: sin autem nonnullorum eos capiat oblivio, ad ipsos versus consultum ire poterunt.

Sed centum & quadraginta Alvari versus *de Prosodia*, seu Syllabarum dimensione, secundo anno per otium ediscent, quibus ingenium à poëtica minimè abhorrens contigerit, saltem ut poëmatum vitia norint, & recitandis alienis versibus amusiam & rerum poëticarum inscitiam apud alios promtam habere caveant: nam ut in poëtando multum ponant operæ, nihil causæ habere eos video. Versus enim malos scribere, ridiculum est: mediocres, inglorium: bonos & legi dignos, pænè inconcessum.

VI.

Eadem mendacia Magistris quoque Crucem figunt, & à gravioribus atque utilioribus studiis eos retardant.

Animadversio.

NEc enim Magister dictorum vel scriptorum rationes à discipulis erogitare, aut vitia, quæ illi sive loquendo, sive scribendo admittunt, eis exprobrare & corrigere poterit, nisi omnes Artis regulas ipse memoriâ complexus teneat. Id autem quàm operosum ac molestiæ plenum sit, vel hinc judicari potest, quòd Regulæ sint plusquam mille, eæque maximam partem falsæ, nec auctorum consuetudini satis congruentes: cui porrò consequens est, ut tanta Exceptionum, Appendicum, & Observationum turbâ fulciri necesse habeant. Atque hac de causa hunc Jesuitæ morem & institutum habere prædicantur, ut singuli quotannis, cùm prolatis studiorum rebus vacatione fruuntur & feriati agitant, velut repuera-

scen-

ſcentes Grammaticæ præcepta pervolutent, quod aliter omnem eorum memoriam mox in ſe obliteratum iri certum habeant, unde eos minimè multum tironibus intereſſe, deque omnibus quæ legunt aut ſcribunt animo fluctuare & incertos certare neceſſe ſit. Ingens proinde eſt Grammaticæ novæ auctoris etiam erga magiſtros beneficium: qui præter hæc uno menſe quicquid Regulis comprehenditur ludibundi ediſcere, & omne reliquum tempus legendis & imitandis aureæ ætatis auctoribus Latinis conſumere poterunt, multòque cùm rerum, tum verborum ſcientiâ auctiores invenientur.

VII.

Eadem mendacia cauſa ſunt, cur Deus, Eccleſia, ac Reſpublica multò plurimorum opera defraudetur, quam illi minimè pænitendam navare poſſent, niſi alios Grammaticæ magiſtri tot annis in ſcholis contererent, alii vel temporis longinquitate, vel diſcendi difficultate territi ſtudia deſererent, aut attingere dubitarent.

Animadverſio.

SI quis jam inveniatur ætate provectior, qui nihil aliud exoptet, niſi Latinè ſatis intelligere, ut Deo & Eccleſiæ inſervire, ac vel Sacerdotio initiari, vel Theologiæ Practicæ ſeu Conſcientiæ caſibus operam dare, ac paulò pôſt animarum curam ſuſcipere queat: ſimiliter autem ſi quis Juriſprudentiæ, Medicinæ, aut Philoſophiæ ſtudere velit, conſideret autem tot annos impendendos fore odioſiſſimis Grammaticæ præceptis, donec vel mediocrem linguæ Latinæ notitiam aſſequatur, nec tamen ejus rei cauſa quantoſcumque labores capere parato extra ludos literarios ullam idoneam voto potiendi occaſionem oſtentari: nempe ſum-

pe summæ ac velut inexsuperabilis difficultatis specie perterritus animum despondebit, & quidvis potius, quàm de literis ac disciplinis cogitandum sibi putabit. Jam verò Grammaticæ novæ auctor viam talibus munivit, ut quo volunt uno anno minimè laboriosè pervenire possint. Nec enim ullo eis ludo literario, aut arte Grammatica opus fuerit, modo habeant, unde juvenem aliquem cujuscunque Grammaticæ peritum pretio conducant, qui primùm in declinationum & conjugationum paradigmatis uno eos mense exerceat, ac mox Mercurii bilinguis Sententias eo, quo dictum est, numero ac modo interpretetur, & Nominum casus Verborumque præterita & supina indicet, tandemque vocum Conjugata dictet, aut cùm typis descripta exierint, subinde cum eis translegat. Hoc pacto sine ulla vel Etymologiæ, vel Syntaxeos Regula ante vertentem annum Latinè satis docti erunt, ita ut quod ad literas attinet, nihil eos vel à sacris Ordinibus, vel à Philosophorum, Jurisconsultorum, Medicorum, aut Theologorum Practicorum seu Casuistarum, quos dicunt, acroasi submovere aut arcere debeat. Sin autem postea eis libuerit Syntaxis quoque Regulas quindecim cum Figuris Grammaticis cognoscere, suo ipsi Marte nullo præcipiente aut adjuvante per otium facillimè id consequentur, cum eam ad rem nihil nisi linguæ intelligentia requiratur.

FINIS.

